DE

TIMONE PHLIASIO

CETERISQVE SILLOGRAPHIS GRAECIS

DISPVTAVIT

ET

SILLOGRAPHORVM RELIQVIAS

COLLECTAS DISPOSITAS RECOGNITAS

ADIECIT

CVRTIVS WACHSMVTH

Silli, Graecae poeseos genus ut per se satis singulare et subtili perscrutatione dignum ita nondum ea qua decet accuratione exploratum[1]), quinam fuerint ut dignoscatur potest tribus uiis procedi, primum ita ut spectetur quid queat elici ex ipsius uocis radice et potestate, tum ut uideatur qua ratione a Graecis ipsis sit explicata sillorum poesis, denique ut ex sillorum reliquiis eorum species adumbretur.

Primam autem alteramque uiam persecuti parum proficiemus. Namque *σίλλος* — quo modo scribendum esse diserte cum doceant Herodian. *π. μον. λέξ.* p. 11, 26 Dind. et Arcad. p. 53, 20 Bark., falluntur Tittmann ad Zonar. p. 1648 atque Paul de sillis p. 11 not. f. — quid significet certissimis constat testimoniis, quamuis de uocis deriuatione ualde ambigatur et a ueteribus et a recentibus grammaticis, quorum rationes plurimas congessit Paul p. 7—18, quibus adicias eam quam Doederlein de alpha intensiuo serm. Graeci p. 18 proposuit, nam ceteras aliorum commemorare taedet. *Σίλλος* enim est qui oculos torquet, cf. Lucian. lex. 4; Bachmann an. Gr. II, p. 342, 27 (*συναγωγὴ λέξεων χρ. ἐκ τ. Λουκιανοῦ*); atque item *σιλλαίνειν* et *σιλλοῦν* oculos torquere inprimis ad irridendum aliquem, cf. Ael. Dionys. ap. Eustath. p. 214, 27 *τοὺς ὀφθαλμοὺς ἠρέμα παραφέρειν ἐν τῷ διαφαυλίζειν καὶ διασύρειν*; cf. Pollux II, 54; Photius s. u. *σιλλοῦν* et *σιλλαίνειν*; Suidas s. u. *σιλλαί*-

---

[1]) egerunt de eis C. I. Strand de Sillis disputat. acad. praeside Pet. Eckermann. Vpsal. 1746; I. Fr. Langheinrich de Timone sillographo diss. I. Lips. 1720, p. 28—36; F. A. Woelke de Graecorum sillis. Varsou. 1820; F. Paul de sillis Graecorum Berolin. 1821; A. Weland de praecipuis parod. Homer. scriptoribus ap. Graecos, Gotting. 1833, p. 15—21, p. 50—58.

νειν; Et. M. s. u. σίλλοι; Bachmann an. Gr. I, p. 361, 19 s. u. σιλλαίνειν. Σίλλος igitur dicitur uel derisio (cf. Aelian. uar. hist. III, 40 τὸν σίλλον ψόγον λέγουσι μετὰ παιδιᾶς δυσαρέστου; Suid. s. u. σιλλαίνειν; Et. M. s. u. σίλλοι; Hesych. s. u. σιλλός) uel derisor, ut a Cratino Cercopum quidam appellatus est Σίλλος i. e. derisor teste schol. Lucian. Alex. 4, cf. Lobeck Aglaoph. p. 1297, Meineke com. Gr. II, p. 25; atque pari modo σιλλαίνειν, σιλλοῦν, διασιλλοῦν uerba ualent irridere. cf. Pollux IX, 148. Carmina ergo quae uocata sunt σίλλοι uel derisores uel derisiones dici, itaque irrisiones continere apparet.

Neque aliud altera uia adipiscimur; carmina enim irrisoria explicauerunt σίλλους ad unum omnes ueteres, Phrynichus ap. Bekk. an. Gr. I, p. 36, 19 s. u. διασιλλοῦν ... σίλλοι γὰρ ᾄσματα χλευστικά, excerpta eorum quae Lucii Tarrhaei dicuntur ap. Cram. an. Oxon. IV, p. 314 σίλλος ἐστὶ ποίημα λοιδορίαν κατά τινος περιέχον, Pollux II, 54 τὸ χλευαστικὸν ποίημα σίλλος, Hesychius s. u. σίλλος ἔμμετρον σκῶμμα, Proclus chrestom. in Phot. bibl. cod. 239 p. 321ᵃ 28 ὁ δὲ σίλλος (quem p. 320ᵃ 2 inter carmina melica commemorauit) λοιδορίας καὶ διασυρμοὺς πεφασμένως (uulgatam enim hanc lectionem seruandam duxi neque recipiendam minus aptam πεφεισμένως quam praebent codd. ABCH ap. Gaisford. et Et. M. s. u. σίλλοι) ἀνθρώπων ἔχει, Et. M. s. u. σίλλοι p. 713, 13 ... δηλοῖ δὲ καὶ χλευαστικὸν ποίημα. ὁ γὰρ σίλλος λοιδορίας etc. Inter μέλη autem quod σίλλοι et a Proclo l. s. et in Et. M. l. s. et in an. Oxon. l. s. et a Polluce IV, 53 referuntur prorsus nihili est faciendum, quamquam Proclum ex Didymi περὶ λυρικῶν ποιητῶν libro sua hausisse admodum probabilis est suspitio, cf. M. Schmidt Didym. p. 390 sq. Etenim habita est in illa distributione instituenda nulla formae nulla naturae sed eius tantum rei ratio, quod ut ἐγκώμιον continet hominum laudes ita σίλλος uituperationes. Neque quidquam ualent Eustathii uerba p. 204, 23 εἰσὶ δὲ οἱ σίλλοι ποιήσεως εἶδος κωμικῆς: quippe qui spectauerit id solum quod irridentur in hac poesi ut in comoedia homines.

Carmina autem irrisoria et comoedias et iambos multos

potes eodem iure nuncupare quo sillos, nimis igitur ampla est ista grammaticorum Graecorum explicatio; itaque iam uideamus quaenam sillorum notio possit ex ipsis eorum reliquiis erui. Qua in re incipiendum est ut in omnibus eiusmodi quaestionibus a rebus certis et firmiter stabilitis, progrediendum ad eas, quae uel sint uel uideantur minus certae, ita tamen comparatas, ut etiam hae si cum certis contuleris certo uel admodum probabiliter diiudicari possint.

Exordiar ergo ab eo qui a posteris *κατ' ἐξοχὴν* nocatus est *ὁ σιλλογράφος* (cf. Procl. in Platon. Parmenid. tom. IV, p. 23 et 58 ed. Cousin., in Platon. Timaeum p. 1 ed. Schneider.) a Timone Phliasio. Antequam tamen ad ipsos eius sillos adeam, necesse est breuiter disputem de uiri uita ceterisque studiis et scriptis, de quibus grauissima testimonia composuit Clinton fast. Hell. III, p. 495, uerba fecit quamquam fuse tamen ualde neglegenter Langheinrich de Timone sillogr. disp. I, p. 8—27.

Timon igitur, cuius uitam descripsit singulari libello Antigonus Carystius eius suppar (cf. Laert. Diog. IX, 111 et 110 et Euseb. pr. euang. XIV, p. 445), in undecimo *διαδοχῶν* libro Sotion (cf. L. D. IX, 110 et 112) nec non Apollonides Nicaenus in eius sillorum commentario (cf. L. D. IX, 109), ex quibus compilata est Laertii Diogenis narratio IX, 109—115, Timon inquam natus est Phliunte (cf. L. D. IX, 109; Suid. s. u. *Τίμων*; Stephan. Byz. s. u. *Φλιοῦς* etc.) patre usus Timarcho (cf. L. D. l. s.). Corpore quamuis esset praeditus ceteroquin ualidissimo, quippe qui nonaginta annos uiueret (cf. L. D. IX, 112), licet esset potator acerrimus (cf. Athen. X, p. 438 a, Aelian. uar. hist. lib. II, 41, p. 321, 26 ed. Didot.), id unum ei minus bene accidit, quod unoculus natus erat (cf. L. D. IX, 112 et 114), quam rem ipse tam non aegre tulit, ut hilariter de ea re iocaretur cum aliter tum se Cyclopem nocans (cf. L. D. l. s.). Eum adolescentem tradunt L. D. IX, 109 et Euseb. praep. eu. XIV, p. 763 c in theatris saltasse (*ἐχόρευεν ἐν τοῖς θεάτροις*; quae me non nimis audacter interpretari censeo referendo haec uerba ad *κιναίδους* quos conscripsit Timon (cf. L. D. IX, 110). *Κίναιδοι* enim ut docuit Letronne revue de philol I, p. 126, rec. des

inscr. II, p. 100 sq. nuncupabantur saltatores mimici (cf. Nonius p. 5 s. u. *cinaedi*) cantantes et ipsi modulantibus tibiis sambuca aliis; cf. omnino de cinaedis disputans O. Iahn, *wandgemälde des columbariums der villa Pamfili* in commentat. bauar. litt. acad. I cl. tom. VIII, part. II, p. 254—59. Erant autem ab eis cantata carmina et *χαρακτηρισμοί* (cf. Strabo XIV, p. 640 *Κλεόμαχος ἀπεμιμήσατο τὴν ἀγωγὴν τῶν παρὰ τοῖς κιναίδοις διαλέκτων καὶ τῆς ἠθοποιίας*), quibus quam facile lasciui potuerint immisceri ioci apparet, et carmina maledica, ut scripsit Sotades *Βελεστίχην* in Belestichen nobilem Ptolemaei Philadelphi meretricem et notissimum illud *εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς* (Athen. XIV, p. 621 a). Atque iam diu a *λυσιῳδοῖς* et *σιμῳδοῖς* exercitum hoc poeseos genus sane eo tempore efflornit a Sotade Alexandro Aetolo aliis excultum (cf. Meineke anal. alex. p. 244—247), a quibus in mythologiam potissimum uidetur conuersum (cf. Suid. s. u. *Σωτάδης . . . εἰσὶ δὲ αὐτοῦ εἴδη πλεῖστα. οἷον Πρίηπος Ἀμαζών*; cf. tituli Sotadeorum librorum *Ἰλιάς* ap. Hephaestion. p. 21 Gaisf. et *Ἄδωνις* ibid. p. 8 et inprimis uersus l. s. *τίνα τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν θέλετ' ἐξακοῦσαι*). Sotades tamen Alexanderque Aetolus recitanda tantum haec carmina composuerunt (cf. Strabo XIV, p. 648 et Aristid. Quintil. 32, cuius uerba *μετὰ πεπλασμένης ὑποκρίσεως* Rossbachium et Westphalium metric. p. 326 perperam interpretatos esse, nec recte Meinekium in diar. antiq. 1849 p. 144 mutasse in *μετὰ κεκλασμένης ὑποκρίσεως* arbitror, sed uere intellexisse Iahnium l. s. p. 258 n. 67). Qua in re amico Alexandro Aetolo, de quo statim dicam, tam parum obtemperauisse Timonem puto, ut potius persuasum habeam eum sua ipsius carmina cinaedologica accedente modulatione et cantasse et mimica saltatione expressisse. Horum autem Timonis carminum prorsus nullae seruatae sunt reliquiae, quode uel ideo non potest dubitari, quod nullae sunt ionicis numeris adstrictae, eis autem numeris semper, ni fallor, conscripti erant *κίναιδοι*, id quod docent Nonius p. 5 *ἰωνικὸς κιναίδων*, uersus Sotadei (cf. Hephaestio p. 69 Gaisf.), uersusque Cleomachei, qui a cinaedologo Cleomacho nomen duxerunt (cf. Meineke com.

Gr. II, p. 27 sq.), docet cinaedi ap. Petron. c. 23 Sotadeis uersibus compositum carmen, probat denique ipsum eorum nomen *ἰωνικοὶ λόγοι* (cf. Suid. s. u. *Σωτάδης*. Rossbach et Westphal metric. p. 324—329). Deinde Timon ut philosophiae operam nanaret, primum Megaram se contulit ibique philosophos eristicos audiuit; Stilponis enim eum discipulum fuisse, quod tradit L. D. IX, 109, uix ac ne uix quidem conceditur temporum ratione, frustra nempe refragatur Langheinrich I, p. 10; tamen noluerim cum Rittero et Prellero hist. phil. Gr. et Rom. ed. alt. p. 398 de coniunctione dumtaxat scepticorum et Megaricorum philosophorum cogitari. Inde domum reuersus paullo postquam uxorem in matrimonium duxit (cf. L. D. l. s.) circa templum Amphiarai incidit primum in Pyrrhonem Eleum philosophum Pythii Apollinis oraculum petentem, quod ipse in libro Pythone narrauit (cf. Euseb. praep. eu. XIV, p. 760 d), eiusque oratione in qua ille hominum ignorantiam potissimum conquereretur ita grauiter commotus est, ut totum se Pyrrhoni eiusque philosophiae dederet, uxorem secum Elidem abduceret (cf. L. D. l. s.) Pyrrhonisque existeret discipulus fidissimus et per totam uitam in eius admiratione perseueraret (cf. Euseb. l. s. p. 761 b et p. 763 c; L. D. IX, 69; Suid. s. u. *Τίμων* et *σιλλαίνειν*). Elide ei nati sunt filii duo, quorum natu maiorem Xanthi nomine uocatum medicam artem docuisse traditur a L. D. IX, 109, ex quo loco recte, opinor, poteris cum Rittero et Prellero l. s. colligere Timonem ipsum medicam artem professum esse, praesertim cum posteriores sceptici utramque artem, et medicorum et philosophorum, pariter calluerint (cf. Ritter et Preller l. s. p. 541). Rerum tamen inops cum esset, Chalcedonem profectus ibi *σοφιστεύων* non fama tantum magna inclaruit, sed etiam multas opes sibi comparauit (cf. L. D. IX, 110; Steph. Byz. s. u. *Φλιοῦς*). Quo facto cum Athenas se contulisset, ibi uitam degit donec supremum diem obiit, paululum tantum Thebis uersatus (cf. L. D. IX, 110 et 115). Qua autem aetate uixerit, postea accuratius et commodius poterit explanari.

De moribus eius pauca tantum traduntur, quibus tamen id efficitur, ut cognoscatur homo *ὀξὺς νοῆσαι καὶ διαμυκτηρί-*

σαι, ut ait L. D. IX, 113. Irrisit enim acerbe usque quaque homines philosophos, uelut de eis qui opinarentur ueritatem posse percipi consensu mentis et sensuum usurpare solebat prouerbium: συνῆλθεν Ἀτταγᾶς τε καὶ Νουμήνιος (quorum uterque fuit fur notissimus); negabat igitur posse quidquam ratum fieri duobus argumentis quorum alterum altero sit fallacius (cf. L. D. IX, 114). Prae ceteris autem perstringebat Arcesilaum (cf. L. D. IX, 114 et 115). In sermocinando uero Homericos lubenter adhibuit uersus (cf. Athen. X, p. 438 a). Praeterea narratur fuisse ἀδιάφορος ita, ut iacerent ipsius poemata inordinata et prorsus neglecta, quin a muribus aliisue eius generis bestiolis corrosa (cf. L. D. IX, 113). Cuius rei testimonium affertur narratiuncula a L. D. IX, 114 et saepe perperam explicata et mendis liberanda. Zopyro enim rhetori ut aliquid praelegeret (ἀναγινώσκοντά τι restituendum est pro ἀναγινώσκοντι uulgata lectione ex codice Laurentiano optimo H., qui ἀναγινώσκοντι (α supra scr.), et altero G., qui ἀναγινώσκοντα praebet[1]) euoluit librum et legit deinceps singula atque postquam iam ad medium fere librum peruenit, detexit initium auulsum; sic enim uerba τὸ ἀπόσπασμα emaculanda esse censeo: „τὸ α' (i. e. πρῶτον, initium) ἀπεσπασμένον“ nisus auctoritate amplissima Ambrosii, qui uertit: principium notarit auulsum. Qua in ἀδιαφορίᾳ ut Pyrrhonis magistri exemplar (cf. L. D. IX, 63 et 66) secutus est, ita aeque atque ille (cf. L. D. IX, 63) solitudinis et otii fuit studiosissimus (cf. L. D. IX, 112 et 113), σπουδάζων περὶ τὸ ἠρέμα ζῆν, eamque ob rem hortorum amator (cf. L. D. IX, 112): nam ob sententiam prorsus non est cur haec Diogenis uerba referas ad Timonem misanthropum, id quod ob uerborum constructionem nequit tolerari. Denique uerba Laertii IX, 114 ἀλλὰ καὶ εὔρους (sc. ἦν Τίμων) ὥστε μηδ' ἀριστᾶν συγχωρεῖν (codd. Reg., Arundel., Laurent. F. G. praebent συγχρονεῖν) quid sibi uelint non expedio.

Fuit autem Timon homo ingeniosissimus insiguiterque litteratus, itaque et regibus Antigono Gonatae et Ptolemaeo Philadelpho innotuit (cf. L. D. IX, 110) et a multis discipulis cele-

[1]) De codicibus Laurentianis conferas quae infra disseram.

bratus est neque cum paucis hominibus doctrina claris familiaritatem contraxit. Namque discipulos eius testibus Hippoboto et Sotione fuisse narrat L. D. IX, 115, quamuis fuerint qui negarent omnino ullos fuisse, Dioscoridem Cyprium, qui fuit unoculus (cf. L. D. IX, 114), Nicolochum Rhodium, Euphranorem Seleuciensem Praylumque Troadensem. Discipulos ei fuisse nec paucos confirmat etiam Hieronymus peripateticus apud L. D. IX, 112. Is autem, qui a Suida uel potius a Suidae librariis s. u. *Πύρρων Φλιάσιος* eius discipulus fuisse dicitur, explosus est rectissime a Bernhardyio ad l. s. Docuit praeterea Timon Aratum Solensem (cf. Suid. et Eudoc. s. u. *Ἄρατος*), ut ex Suidae uerbis colligas, philosophiam, id quod Athenis factum esse inde redditur uerisimile, quod Athenis Persaeum quoque audiit Aratus (cf. uita Arati IV, 10, p. 60 ed. Westerm.). Aratus autem eius iudicium etiam aliis in rebus litterariis magni aestimasse uidetur. Certe traditum est a L. D. IX, 113 eum Timonem interrogasse, quonam pacto possit quispiam Homeri carmina integra nancisci, id quod fecit procul dubio cum Odysseam tractaret (cf. Arati uita III, 22, p. 58 ed. Westerm., Suid. s. u. *Ἄρατος*, uita Arati latina post Arati ed. Venet. 1488 a Suringare de mythogr. astron. p. 9 edita u. 12) uel cum ab Antiocho Syriae rege excitatus esset, ut pro ipso ederet Iliadis *διόρθωσιν, διὰ τὸ ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι* (cf. uita Arati I, 58, p. 54, ibid. 84, p. 55 ed. Westerm., uita Arati latina u. 13). Timon autem excelso responso: *εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις* utrum Arati ipsius peruersa Homerica studia perstrinxerit, quippe qui Odysseam iam edidisset et Iliadem iam esset editurus, ut Woweren polymath. c. 18 coniecit, an uituperauerit Zenodoti audaces mutationes, ut putauit Fabricius bibl. Gr. I, p. 368 Harl., probauerunt Wolf proleg. Homeri p. 187 et Bernhardy *grundr.* II, p. 922, diiudicari uix potest. Maxime certe probabile est, Stoicorum ex more Aratum Homerum tractasse, cf. Sengebusch diss. Hom. I, p. 69, quamuis certum testimonium desideretur; namque quod certum uidetur esse in Arati uita latina u. 13: „didicit autem apud eum (sc. Zenonem) Odysseam“ nullum est.

cum intellegatur et e lectione codicis Matritensis et e uita Arati Graeca, ex cuius codice integriore fluxit haec interpretatio, uerba „apud eum“ esse referenda ad enuntiatum antecedens *γέγραπται αὐτῷ ἐπιστολὴ πρὸς τοῦτον.*

Alia ratio intercedit inter Timonem et Alexandrum Aetolum Homerumque Myrus filium, nobiles Alexandrinae pleiados tragicos. Etenim L. D. IX, 113 dicit: *φιλογράμματός τε* (sc. *ἦν Τίμων*) *καὶ τοῖς ποιηταῖς μύθους γράψαι ἱκανὸς καὶ δράματα συνδιατιθέναι. Μετεδίδου δὲ τῶν τραγῳδιῶν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Ὁμήρῳ.* Quae uerba non intellego quomodo interpretatus sit Meineke anal. Alex. p. 217: „quod Diog. L. IX, 113 de Timone Phliasio narrat id quorsum spectet ut nunc res est diiudicari uix potest. Res tota fortasse ad aemulorum inuidiam poetarum redit, nam ut Athenis poetae mutua flagrabant inuidia, ita etiam Alexandrinos poetas inter se exercuisse inimicitias consentaneum est“. Rem ipsam arbitror haud ita difficilem esse explicatu. Dicit Diogenes Timonem quippe qui esset *φιλογράμματος* aptissimum fuisse ad conscribenda poetis argumenta fabularum, i. e. ad tradendam eis ipsam mythologicam materiam, ex qua dramata componerent; idque praecipue praestitisse Alexandro Aetolo atque Homero tragico in componendis tragoediis. Neque enim aliud sibi uolunt uerba *μύθους γράψαι* prorsus eadem usurpata ratione, qua Silo a Seneca suasor. II fin. dicitur „pantomimis fabulas scripsisse“; neque habet haec res per se quidquam incredibile. Nam cum poetae Alexandrini in fabulis scribendis recolenda abstrusarum et reconditarum fabularum memoria doctrinae magis quam poeticae uirtutis laudem aucupati sint, cum summa industria *μυθικὰς ἱστορίας* conquisiuerint, non uidetur absonum esse iam tum hominem doctum poetis praestitisse simile aliquid, quod praestitisse scimus Cornelio Gallo Parthenium *τὴν ἄθροισιν τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων ἀναλεξάμενος*, ita ut ei liceret *εἰς ἔπη καὶ ἐλεγείας ἀνάγειν.* Huc etiam refero, quod dicitur Timon fuisse *φιλοποιητής* ab Antigono Carystio ap. L. D. IX, 110; *φιλοποιητής* enim mihi persuasi esse leniter corrigendum pro *φιλοπότης* uerbo, quod huc prorsus non quadrat, praesertim consideranti uerba

sequentia *καὶ ἀπὸ φιλοσόφων ἐσχόλαζε* quae, perperam a Kühnio explicata „a philosophiae studiis abhorrentia interdum componebat“, interpretanda sunt „litteris incubuit remotus a philosophis“ praepositione *ἀπὸ* in *ἄπο* correcta; ita enim rem sese habere, manifeste et eis quae antecedunt et eis quae sequuntur euincitur. Eodem denique refero uerba L. D. l. s. *καὶ γὰρ ποιήματα συνέγραφε .... τραγῳδίας .... (δράματα) τραγικὰ ἑξήκοντα.*

Itaque peruenimus ad scripta Timonis accuratius perscrutanda. Quorum catalogum paululum perturbatum profert L. D. l. s.: *καὶ γὰρ ποιήματα συνέγραφε καὶ ἔπη καὶ τραγῳδίας καὶ σατύρους καὶ δράματα κωμικὰ τριάκοντα, τραγικὰ δὲ ἑξήκοντα, σίλλους τε καὶ κιναίδους. Φέρεται δὲ αὐτοῦ καὶ καταλογάδην βιβλία εἰς ἐπῶν τείνοντα μυριάδας δύο.* Quem ita exortum puto, ut uerba *καὶ δράματα κωμικὰ τριάκοντα, τραγικὰ δὲ ἑξήκοντα* ex alio fonte addidisset Laertius quam ex quo cetera hausisset. Horum de *κιναίδοις* et sexaginta tragoediis iam dixi. *Ἔπη* quaenam praeter *σίλλους* fuerint nescitur; neque magis explorari potest qui fuerint *σάτυροι*, nisi uelis ita dicta putare *δράματα κωμικά* ex confusione posterioribus temporibus frequenti (cf. Athen. VI, p. 261 c *σατυρικαὶ κωμῳδίαι*). *Δράματα* autem *κωμικά* cum Meinekio hist. crit. com. Gr. p. 527 malim intellegere carmina *σκωπτικά* colloquentium personarum uicibus utcumque distincta quam iustas comoedias, praesertim cum *κωμῳδεῖν* et *κωμῳδία* uoces de quouis ludibrii genere usurpentur. Pedestrium eius scriptorum commemorantur libri *περὶ αἰσθήσεων* (L. D. IX, 105), *πρὸς τοὺς φυσικούς* (Sext. Emp. adu. math. III, 2, quem librum sillorum partem esse opinanti Tennemannio *gesch. d. philos.* V, 2, p. 177 credidit Paul de sillis p. 25), *Πύθων* (Euseb. praep. euang. XIV, p. 760 d, L. D. IX, 64. 66. 76. 105); perperam enim heroico metro conscriptum hunc librum putant Menagius ad L. D. IX, 109; Langheinrich I, p. 27; Ritter et Preller hist. phil. p. 399 decepti per L. D. IX, 64, quem locum uix sanum puto; etiamsi autem sit sanus, soluta oratione librum compositum fuisse docent ceterae reliquiae, quibus cum summas Pyrrhonis laudes immiscuit nec non qua ratione eum ipse cognouerit

accurate descripsit, tum scepticam philosophiam exposuit. His ergo pedestribus libris, quibus et scepticorum praecepta probauit et ceteros philosophos irrisit, attribuenda sunt, quae commemorantur Timonis dicta ap. Sext. Emp. adu. math. VI, 106; X, 197; XI, 164; Euseb. praep. eu. XIV, p. 731 b, ibid. p. 758 c; L. D. IX, 102 et 107. Somnia tamen sunt quae pedestria Timonis scripta dicit Menagius ad L. D. IX, 111, laudarique passim perhibet Langheinrichius I, p. 27 *περὶ ζητήσεως* et *κατὰ σοφίας*, dormitanter ei quidem interpretati L. D. IX, 106 *ταὐτὰ δὲ λέγει κἀν τῷ κατὰ σοφίας κἀν τῷ περὶ ζητήσεως*, quae ad Aenesidemum referenda esse unusquisque uidet.

Sed omissi sunt in illo catalogo tres qui praeterea laudantur libri, *ἴαμβοι*, *Ἀρκεσιλάου περίδειπνον*, *ἰνδαλμοί*. Iambi, quos commemorat L. D. IX, 110 *ἐγνώσθη καὶ Ἀντιγόνῳ τῷ βασιλεῖ καὶ Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ἰάμβοις αὐτὸ μαρτυρεῖ* (sic codex Laur. F.), aliunde non innotuerunt. Neque quidquam aliud de altero *Ἀρκεσιλάου περιδείπνῳ* traditum est, nisi laudatum in eo esse Arcesilaum (cf. L. D. IX, 115); nimirum alter quem in hunc librum intrudere noluerunt locus Athenaei IX, 406 e euanuit, cf. adnot. crit. ad Timon. sill. fragm. XI. De compositione libri nihil pro certo affirmari potest; cum autem constet in eo Arcesilaum esse praedicatum aeque atque a Speusippo in *Πλάτωνος περιδείπνῳ* (cf. L. D. III, 2) Platonem, id facile, qui Timonis mores perspectos habet, credat ab eo perpetratum esse ita, ut ceteri Arcesilao philosopho scepticis simillimo et *δογματικοῖς* infestissimo repugnantes philosophi irrisi sint. Quam ad rem *δεῖπνον* aptissimum fuit, cuius inter *κομψείας* a Luciano referantur in Prometheo 8 *σκώμματα καὶ τὸ διασιλλαίνειν καὶ ἐπιγελᾶν*, in quo *ζητήματα* proponi solita sint certatimque a conuiuis solui, in cuius formam idcirco irrisoria carmina frequenter sunt redacta. Suspicetur igitur quispiam non inepte, hunc librum similiter comparatum fuisse atque Varronis saturam *Μενίππου ταφήν*, cuius indolem descripsit O. Ribbeck in nouo mus. Rhen. XIV, p. 126 sq., neque magnopere a sillis discrepasse. Verum uersibus, quod Langheinrich I, p. 27 putauit, an pedestri ser-

mone, ut crediderunt Menag. ad L. D. IX, 110 et Fabric. bibl. Gr. II, p. 820, scriptus fuerit liber, non liquet.

Paululum planiora et pleniora dici possunt de *ἰνδαλμοῖς*. Fuerunt hi compositi elegis, ut docent Sext. Emp. adu. math. XI, 20 (recte enim ibi pro *τοῖσι δήμοις* correxerunt *τοῖς ἰνδαλμοῖς* Fabric. in editione et Menag. ad L. D. IX, 110) et L. D. IX, 69, quocum arte coniungas Sext. Emp. adu. gram. I, 305 (ubi egregiam Bekkeri *ἐλῶν* pro *ἑλῶν* coniecturam iam Henr. Stephanus in poesi philos. p. 71 occupauit). Elegiacas igitur ceteras reliquias huc puto esse referendas Sext. Emp. adu. math. X, 351 (ut iam monuit Bergk comm. crit. spec. I, p. 4 eleganter suspicatus non *προςέχων δειλοῖς* sed *πρόςεχ' ἰνδαλμοῖς* scripsisse Timonem) et Sext. Emp. l. s. XI, 140 (quode dixit idem Bergk l. s. p. 5). Conicio ergo poetam incepisse a laudibus Pyrrhonis eumque interrogasse, quo tandem modo effecisset, ut omnibus cupiditatibus et animi affectibus uacuus semper aequo animo uiueret, illum deinde longiore disputatione exposuisse, qua ratione id posset quispiam nancisci, nempe ita ut non passus se decipi philosophorum *ἡδυλόγου σοφίης* omniumque cupiditatum *ἰνδαλμοῖς* (Sext. Emp. adu. math. X, 351) totum se daret scepticae sectae. Itaque indalmis assigno etiam Athen. VIII, p. 337 a (inter sillos relatum a Paulio p. 47 fragm. 44), Sext. Emp. adu. math. XI, 164 (dubiis fragm. 65 a Paulio p. 49, indalmis a Fabricio attributum), denique L. D. IX, 105, quod idem reperitur ap. Sext. Emp. adu. math. VII, 30 et ap. Galen. de dignosc. puls. lib. I, tom. III, p. 54 fin. ed. Basil., ubi *πάντη* legendum ex codice F. Diogenis et Galeno). Ex eis quae disputaui sponte elucet quam peruerse de indalmis iudicauerit N. Bach quaest. eleg. spec. I, p. 8 his uerbis: „*ἰνδαλμῶν* inscriptio repetita esse uidetur ab imaginibus siue parabolis, quas poeta in auxilium uocauit ad parodicorum distichorum uim confirmandam aliorumque philosophorum dogmata de seriis in ridicula contorquenda“; persuasit enim ille sibi nullo argumento nisus esse hos *ἰνδαλμούς* ex genere parodicae elegiae quam sibi detexisse uisus est. Dormitans denique excogitauit Schoell hist. litt. Gr. II, p. 41 singulare carmen in museum Alexandrinum composi-

tum, quod efficerent uersus illi sillorum in philosophos Alexandrinos iactati.

Sic uia ad sillos quasi praemunita nihil impedit, quominus ad libros illos aggrediamur quibus Timon ipse tantum inscripsit „σίλλοι", uerba enim Suidae s. u. *Τίμων* „ἤτοι ψόγους τῶν φιλοσόφων" interpretis cuiusdam, non Timonis sunt. Ceterae autem Timonis librorum reliquiae ut omnes sillorum sint, quamuis dubitari possit, num nonnullae *Ἀρκεσιλάου περιδείπνῳ* sint assignandae, eo efficitur, quod silli diu quam maxime lectitati fuerunt, *Ἀρκεσιλάου περίδειπνον* memoriam posteriorum paene fugit.

Timonis sillorum reliquiae collectae sunt primo ab Henr. Stephano *Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἀγών* etc. Paris. 1573, p. 126—128 (nouem tantum reliquias complexo), statim iterum ab eodem in poesi philosophica Paris. 1573, p. 60—71, ubi fragmentorum numerus ualde est auctus additaeque Scaligeri coniecturae. Inde sillorum fragmenta parum accurate excudenda curauit nihil de suo addens D. Heinsius in Horatii editionum complurium fine adnexa primum in ea, quae a. 1612 prodiit. Deinde egit de Timone sillographo I. Fr. Langheinrich dissertationibus tribus Lips. 1720. 1721. 1723, qui collectis reliquiis nonnullas nondum repertas adiecit singulasque latine interpretatus explicauit fusis commentariis; non tamen ad finem perduxit coeptum. Tum sillorum fragmenta auctiora et emendatiora proposuit Brunck anal. ueter. poet. Gr. Argentor. 1785, tom. II, p. 67—78, adiectis paucis adnotationibus in tomo ultimo p. 139. Denique F. Paul edidit libellum de sillis Graecorum Berolini 1821, quo post praefationem de sillis praecipueque de *σίλλος* uocis radice institutam paululum egit de Timonis sillis adnexitque reliquias, sed neque omnes collegit neque cunctos locos quibus laudentur singulae attulit neque in emendandis eis operam ponere uoluit.

Fundamentum totius de Timonis sillis disputationis certissimum iaciamus locum Laertii D. IX, 111: *τῶν δὲ σίλλων τρία ἐστίν, ἐν οἷς ὡς ἂν σκεπτικὸς ὢν πάντας λοιδορεῖ καὶ σιλλαίνει τοὺς δογματικοὺς ἐν παρῳδίας εἴδει. ὧν τὸ μὲν πρῶτον αὐτοδιήγητον ἔχει τὴν ἑρμηνείαν, τὸ δὲ δεύτερον καὶ*

τρίτον ἐν διαλόγου σχήματι. Φαίνεται γοῦν ἀνακρίνων Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον περὶ ἑκάστων, ὁ δὲ αὐτοδιηγούμενός ἐστι, καὶ ἐν μὲν τῷ δευτέρῳ περὶ τῶν ἀρχαιοτέρων, ἐν δὲ τῷ τρίτῳ περὶ τῶν ὑστέρων. ὅθεν δὴ αὐτῷ (*αὐτό* Laurent. F.) *τινες καὶ ἐπίλογον ἐπέγραψαν. τὸ δὲ πρῶτον ταὐτὰ* (sic enim neque *ταῦτα* ut scribatur flagitatur sententiae ratione aeque atque auctoritate codicis Laurent. F., qui *ταυτά* praebet, et Ambrosii, qui „eadem" interpretatur) *περιέχει πράγματα, πλὴν ὅτι μονοπρόσωπός ἐστιν ἡ ποίησις. ἀρχὴ δὲ αὐτῷ ἥδε· ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί*; quam totam enarrationem haustam esse arbitror ex bibliothecae alicuius tabulis, *πινάκων* enim est commemorare libri initium, *πινάκων* duplicem si quis est titulum libri tradere, *πινάκων* denique breuiter totius scripti argumentum exponere.

Perstrinxit igitur Timon in sillis omnes philosophos *δογματικούς* acerbissime, id quod refert etiam Suid. s. u. *Τίμων* (cf. Aristocl. ap. Euseb. praep. euang. XIV, p. 759 b, 763 c; Gell. noct. Att. III, 17, 4); itaque pleraeque sillorum reliquiae laudantur adiectis phrasibus huiusmodi: *Τίμων παρέφαγεν, δάκνει, καθάπτεται, ὑπογράφει, ἐσίλλαινεν, ἐπισκώπτει, διασύρει* etc.

Tum *ἐν παρῳδίας εἴδει* compositi sunt silli. Hoc ingenioso parodiarum lusu solius Homeri uersus sunt deflexi, et Homerum fere ubique cum in tota orationis conformatione tum in singulis uerbis secutus est Timon. Sed hac quoque in re Paul quasi spicis tantum conquisitis largissimam messem aliis reliquit; ego nolui hic componere omnes *πεπαρῳδημένους* uersus, sed curaui subiciendos singulos singulis Timonianis uersibus, qua re spero fore ut faceta acumina saepe hac potissimum in re posita commodius et planius intellegantur. Homerum autem eumque solum a Timone *παρῳδίαις* esse detortum non est cur mireris. Namque Homeri communis litterarum fontis uersus non solum adhibere adamarunt et laudando et deflectendo et in sermocinando et in scribendo cum omnes Graeci qui toto corde Homerum a pueris noscerent, tum philosophi quibus omnino maxime placuit in scholis scriptisque orationi uersus immiscere, ut So-

crates (apud Platonem), Plato (cf. L. D. III, 5 cunctaque eius scripta), Diogenes, Crates, Bion, Menippus (de quibus post dicam), Carneades (cf. L. D. IV, 64), Aristo (cf. L. D. IV, 33), Cleanthes (cf. L. D. VII, 172), inprimis autem Timonis magister Pyrrho (cf. L. D. IX, 67; Sext. Emp. adu. math. I, 272 et 281); uerum etiam singulis carminibus parodicis summis in deliciis habuerunt illum exprimere, qua de re ne pluribus disputandum sit effectum est sagaci A. Welandi dissertatione de praecipuis parod. Homeric. scriptor. ap. Gr. Gotting. 1833. Opinati sane sunt quidam, non Homericos tantum uersus esse detortos a Timone, sed alios quoque, ut tragicos, id quod Dryden putauit in commentatione de satira, Anglicae Iuuenalis interpretationi praemissa, cuius tamen sententiae neque ullum testimonium attulit neque afferri potest, uel Empedoclis, Hesiodi, Theocriti, carminis aurei uersus, cuius rei nuper se composuisse sibi persuasit Mullach quaest. Empedocl. II, p. 29 sq. nonnulla documenta, quae fere omnia ita comparata sunt, ut si talia cum Timoneis conspirare putaueris, iam nihil possis negare cum eis congruere. Vnicum is uere monuit in frgt. XXXIII uerba κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον ex Hesiodi theogon. u. 26 seruata esse, sed seruata sunt non παρῳδίᾳ detorta, id quod pariter ualet in frgt. XXXII, ubi uerba ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε fluxerunt ex Hesiod. opp. u. 3, quarum phrasium utraque fere in prouerbialem usum abiisse uidetur poetaeque magis excidisse quam dedita opera imitandi posita. Atque idem indico de Hipponis uersu πουλυμαθημοσύνη τῆς οὐ κενεώτερον οὐδέν (ap. Athen. XIII, p. 610 b) a Timone in frgt. XXV adhibito, quamquam habet tota haec res peculiares suas dubitationes quibus sit obstricta (cf. Meineke exerc. in Athen. spec. II, pag. 33).

Versibus autem hexametris sillos fuisse compositos uel inde colligitur, quod sunt ex Homericarum parodiarum carminibus, quae cuncta e suapte natura uersibus epicis conscripta sunt; idemque docent omnes sillorum reliquiae.

Iam autem longius progrediendum est in usurpando testimonio πινακογραφικῷ atque explorandum, qua ratione dispositum fuerit illud carmen maledicum in cunctos philosophos uer-

sibus heroicis plerumque ex Homero ridicule detortis conscriptum.

Liber secundus et tertius continent colloquium de philosophis inter Timonem ipsum interrogantem et respondentem Xenophanem Colophonium institutum (cf. Sext. Emp. pyrrh. hyp. I, 223), differunt inter se ea tantum re, quod secundo priores, posteriores recensentur tertio, quem idcirco quidam *ἐπίλογον* inscripserunt. Primum autem librum narrat Diogenes exhibuisse *αὐτοδιήγητον ἑρμηνείαν* et fuisse *μονοπρόσωπον*, uersatum autem esse aeque ac ceteros in philosophis cauillandis. Atque re uera permultae reliquiae epicam quandam prae se ferunt speciem (id enim sibi nolunt uerba *αὐτοδιήγητος ἑρμηνεία*) et potissimum hominum inter se colloquentium certissima praebent testimonia. Vides uel inde explodi eam quam sibi persuasit Paul p. 25 de sillorum conexu opinionem, fuisse eos singula in singulos philosophos carmina maledica nullo inter se uinculo coartata, singulis fortasse additis titulis *εἰς Σωκράτην*, *πρὸς Πλάτωνα*, *πρὸς φυσικούς* (quod antea dixi), *ὁ πρόδειπνος* (cf. adn. crit. frgt. XI).

Haec igitur si contemplaris atque perpensitas, qua tandem ratione poetica possit effici, ut homines diuersissimorum temporum uel diu uel nuper demum mortui inter se colloquentes et quasi fabulam agentes exhibeantur, praecipue ut Timon cum Xenophane iam permultos ante annos defuncto sermocinans proponatur, nullam opinor poteris non tantum dico uerisimiliorem sed nullam omnino aliam reperire nisi eam, ut censeas totos sillos illa fuisse compositos forma, qua eorum partem aliquam fuisse coniecit unus omnium maxime de Timone meritus Meineke exerc. in Athen. spec. I, p. 6, *νεκυίας* forma. Haec autem forma ut fere inuito cuiuis ipsis reliquiis obtruditur, ita inde summam probabilitatis speciem sibi adsciscit, quod et ipsa est aptissima ad perstringendos mortuos cum alios tum philosophos neque ulla est apud Graecos frequentius in poematis irrisoriis adhibita neque potest excogitari quaepiam magis congrua carmini ex Homero parodice detorto.

Maxime enim idoneam hanc esse formam ad sugillandos homines defunctos qui testetur fideiussorem iubeo locupletissimum

prodire Schillerum in epistola ad Goethium pridie kal. februar. 1796 data p. 137 ed. alter. Stuttg. 1856 ita scribentem: „Ich habe dieser tage den Homer zur hand genommen und ..... in der Nekyomantie (eine prächtige quelle von parodien entdeckt), um die verstorbenen autoren und hie und da auch die lebenden zu plagen. Denken Sie auf eine introduction Newtons in der unterwelt. Beim schlusse denke ich geben wir noch eine komödie in epigrammen."; notumque est in Xeniis n. 332—413 hoc consilium a Goethio Schilleroque perfectum esse ita ut fingerent, sese a Musa in Orcum deductos primum nonnullos homines litteratos uidisse quos describerent uersibus ex Homeri *νεκυίᾳ* detortis (u. 332—370), tum interrogando quisnam philosophorum posset proferre dogma uniuersum philosophorum certamen excitasse (u. 371—389), denique colloquium cum Hercule, Shakspeario, de tragoedia tragoedisque seruisse, quo habito a Musa abscedere iuberentur.

Atque elegit hanc formam qua cauillaretur prae ceteris philosophos Lucianus in necyomantia, in ueris historiis, in dialogis mortuorum, elegisse in promptu est conicere in *νεκυίᾳ* Menippum quem sibi Lucianus exemplar proposuit; eam ad sugillandos homines adhibuit Sotades in carmine cinaedologico „*εἰς Ἅιδου κατάβασις*" (cf. Suid. s. u. *Σωτάδης*); quin ipsis Byzantinis ea placuit, uelut in *διαλόγῳ νεκρικῷ ἐπιδημίᾳ Μαζάρι ἐν Ἅιδου* in Boisson. an. Gr. III, p. 112—186 acri sale defricantur multi Manueli Palaeologo imperatore in aula Graeca uersati homines. Deinde hac ipsa forma irrideri puto philosophos, namque eiusmodi ueterum sapientium itinera *ἐκστατικά* et uisiones fingi solebant praecipue a philosophis (cf. Lobeck Aglaoph. p. 944), ut Pythagorae *κατάβασις εἰς Ἅιδου* ab Hieronymo Rhodio peripatetico qui eum facit narrantem se Homeri Hesiodique animas calumniarum in deos coniectarum poenas dantes in Orco uidisse (cf. L. D. VIII, 21).

Verum hanc formam Homerico parodo maxime congruam esse non est cur multis demonstrem, cum res ipsa loquatur.

Postremo certissima argumenta petere licet ex ipsis reliquiis, quae nunc non enarrabo, intelleguntur enim cla-

rius, si totam carminis quam animo concepi imaginem proposuero.

Id unum necesse est statim adiciam, non obstare huic sententiae temporum rationem. Namque eorum qui in Orco conspiciuntur philosophorum recentissimi commemorantur Zeno Pyrrho Arcesilaus et fortasse Cleanthes. Accurata quidem de Timonis aetate non extant testimonia; sed traditum est fuisse eum regnantibus Antigono Gonata (ol. 125, 2 — ol. 135, 1) et Ptolemaeo Philadelpho (ol. 123, 4 — 133, 3), atque Arcesilai superstitem, siquidem scripsit Ἀρκεσιλάου περίδειπνον. Arcesilaus autem defunctus est ol. 134, cum constet Lacydam eius in schola successorem σχολαρχεῖν ἀρξάμενον diem supremum obiisse ol. 134, 4 (cf. L. D. IV, 61). Vixit igitur Timon etiam diutius quam Zeno, quem ol. 130, 1 e uita excessisse probabili computatione docuit Th. Roeper in philolog. IX, p. 29; neque Pyrrhonem utut eius aetatem describis ol. 134 mortuum fuisse negari potest. Verum silli a Timone annis prouecto conscripti sint necesse est, quippe in quibus commemorentur Aristonis Chii discipuli et agi uideatur de Dionysio Μεταθεμένῳ quasi defuncto (quem mortem obiisse testatur L. D. VII, 61 octoginta annos natum) uel certe agatur de eo aetate iam confecto; fuerunt igitur cum silli scriberentur mortui iam Zeno Pyrrho Arcesilaus. Itaque quamquam distinctius pro certo affirmari nihil licet, tamen probabilitatem quandam secutus si circa ol. 137 uel 138 suspicor sillos esse scriptos a Timone quem per nonaginta annos uitam degisse animo tenendum est, a uero ne ualde aberrem non uereor. Illo autem tempore Cleanthem iam obiisse ueri saltem simile est, nam antequam Zenoni se dedit, iam pugil fuerat, tum per undeuiginti annos Zenonis fuit discipulus, Chrysippus contra Cleanthis successor nonagenarius ol. 143 decessit.

Verum enimuero nunc missis ambagibus totam quam mihi persuasi fuisse carminis compositionem enarrabo, cuius in conexu restituendo duas res inprimis obseruandas duxi, quae in omni ea opera quae uersatur in reconcinnando e disiectis membris poetae integro corpore ne in somniandi uanitatem abeat te-

nendae sunt, primum ne cogam reliquias procedere ea uia quae mihi placuerit sed tantum curem ut prodeant illa ratione quam ipsae quasi digito monstrare nisae sint, tum ut ea species, in quam se redigendas esse illas satis certa iudicia praebere credidi, cum omnino non a Graeco ingenio abhorreat tum huic poeseos generi prae ceteris sit apta et usitata. Quod utrumque si mihi contigerit usque quaque recte tenere, quamquam de singulis permultis non poterit non dubitari, id certe assecutus ero, ut concedatur Timonis sillorum dispositionem in uniuersum haud improbabiliter esse redintegratam.

Initium carminis duxit Timon ex certissimo Laertii D. IX, 112 testimonio a uersu *ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί* (fg. I). Quod initium qua ratione cum reliquo carmine coniunctum fuerit nullum extat indicium, possunt multae cogitari, quarum una, ut exemplo utar, haec est ut talia fere dixisse censeatur Timon: „adeste mihi, sophistae, uolo uobis narrare quae nuper mihi in Orcum profecto contigerint. Eo simulatque descendi audii magnum certantium hominum tumultum atque aggressus uidi immensam *λογομαχίαν* inter philosophos exortam.“ Iamque sequitur enumeratio eorum quos conspexerit philosophorum apprime similiter *νεκυίας* catalogo eorum quos Vlixes uiderit instituta, adiectis paucis de uno quoque uerbis, quibus tamen acutissime deformentur eorum mores praecipueque certandi uirtutes. Quae res cum probetur eo quod eiusmodi catalogi in usu fuerunt apud Homericos parodos, ut a Matrone apud Athen. XIII, p. 134 sq. longa series epularum *νεκυίας* et *Βοιωτίας* catalogorum in rationem (u. 4. 30. 36; 22. 33. 50) enumeratur, et eodem fere modo recensentur in Iuliani Caesaribus singuli ingredientes imperatores, tum uero in summum quod talibus in rebus assequi licet probabilitatis fastigium perducitur eo, quod adsunt haud paucae quae rem clarissime affirment reliquiae, inprimis eae in quibus uerba *καὶ ἴδον* et similia in *νεκυίᾳ* solemnia reperiantur.

Horum igitur philosophorum Timon dicit se in principibus conspexisse Democritum *περίφρονα ποιμένα μυθῶν ἀμφίνοον λεσχῆνα* (fg. II) et Pythagoram *σεμνηγορίης ὀαριστήν* (fg. III), tum

Parmenidis *βίην μεγαλόφρονα* (fg. IIII) nec non Zenonis Eleatae *ἀμφοτερογλώσσου μέγα σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν* Melissumque (fg. V) atque Thalem (fg. VI), omnes autem duxisse Platonem *ἀγορητὴν ἡδυεπῆ τέττιξιν ἰσογράφον* (fg. VII). Deinde Zenonem stoicum narrat se uidisse anum Phoenissam, cuius manibus nassa nimis pusilla qua callide homines captauerit dilapsa sit (quo nimis subtilem spinarum dialecticarum Zenonis contextum pungi recte intellexerunt, ut Chrysippo ap. Lucian. uit. auct. c. 22 tribuuntur *τῶν λόγων πλεκτάναι αἷς συμποδίζει τοὺς προσομιλοῦντας*) (fg. VIII). Pergitur in philosophorum agmine apparuisse etiam Anaxarchi *θαρσαλέον ..... κύνεον μένος* (fg. VIIII) et medios in eristicos qui se immiscuerit (hac enim explicatione poterit fortasse quod uulgatur *ἐπίμικτος* seruari) Protagoram *ἐριζέμεναι εὖ εἰδότα* (fg. X). Huic denique enumerationi haud inepte tribuas fg. XI, XII, XIII, quibus commemorantur Prodicus *λαβάργυρος ὡρολογητής* (fg. XI), Antisthenes *παντοφυὴς φλέδων* (fg. XII), Speusippus *ἀγαθὸς σκῶψαι* (fg. XIII).

Post finitum hunc catalogum repetit Timon omnes hos inter sese concertasse terribili *λογομαχίᾳ*, in qua *βροτολοιγὸς Ἔρις* semper eos acriter ad pugnandum instimularet (fg. XIIII); statimque *ὀλίγον ὑποβάς* (ut testatur diserte Clem. Alex. strom. V, p. 235 Sylb.) subiungit quae fuerit rixarum causa. Has uero ridicule imitatus Iliadis initium fingit exortas per *Ἠχοῦς σύνδρομον ὄχλον* (quo petitur uulgus philosophos cingens quod eorum orationes semper aut acclamando aut sibilando excipit), a quo garrulitas philosophis iniecta sit (fg. XV).

Pugnam autem philosophorum re uera esse adumbratam non modo idcirco redditur uerisimile, quod haec irridendi ratio admodum fuit accepta Graecorum populo inde a pueris semper maxime certaminibus gauiso, ueluti adhibita est in Iuliani Caesaribus, nec non insigniter est idonea qua sugillentur philosophi ob altercationes perpetuas notissimi inprimisque usitata in carminibus Homericorum parodorum ut in batrachomyomachia Matronis *δείπνῳ* aliis; uerum etiam reliquiae ipsae rem ita sese habere non loquuntur sed clamant.

Duo etiam spectacula uiuidissima ipsius philosophorum cer-

taminis cognosci queunt, nequeunt, id quod uehementissime dolendum est, pernosci.

Primum proponitur Arcesilaus parans pugnam contra aduersarium, Zenonem ni fallor, quocum constat grauissime eum conflixisse (cf. Euseb. praep. euang. XIV, p. 729 c, p. 731 c; Cic. acad. I, 12. IV, 24), uersibus duobus (fg. XVI), in quibus quomodo restituenda sint uerba ipse non potui dispicere, quae autem sententia insit nullus dubito collato Eusebio l. s. p. 729: (Arcesilaus et Zenon) ἐφιλοτιμήθησαν ἀλλήλοις, συμπαρέλαβον εἰς τὴν πρὸς ἀλλήλους μάχην ὁ μὲν Ἡράκλειτον καὶ Στίλπωνα ἅμα καὶ Κράτητα ... ὁ δὲ Ἀρκεσίλαος Θεόφραστον ἴσχει καὶ Κράντορα τὸν Πλατωνικὸν καὶ Διόδωρον, εἶτα Πύρρωνα. Atque similem sententiam ipsum Arcesilaum eloquentem paulo post facit Timon (διαλιπὼν αὐτὸν ποιεῖ λέγοντα) (fg. XVII); aduersarius autem ei opprobrio uertit, quod uituperationibus semper immisceat iocos (fg. XVIII); postremo Arcesilaus oratione habita sese infert mediam in turbam quae eum magnopere admiratur (fg. XVIIII). Altera uegetissima imago nobis quasi ante oculos ponitur Zenonis eiusque agminis. Zeno enim colligit turbam mendicorum (fg. XX) eamque docet lenticulas coquere (fg. XXI), qua re superbiens gloriatur unus ex eo grege (fg. XXII); sed in pugna acerrima alter qui diues se Zenoni dedidit iam de felici certaminis euentu desperat et acerbissime irridet illos πτωχούς, namque sese esse πτωχόν quod ad mentem attineat itaque exitium euitare non posse (fg. XXIII). Huic igitur stoicorum pugnae tribuendi sunt illi uersus quibus Cleanthes describitur per medios uirorum ordines incedens (fg. XXIIII), si temporum ratione conceditur; sin minus, in tertii libri colloquio inter Xenophanem et Timonem facto sunt collocandi. Porro ad philosophorum λογομαχίαν refero (fg. XXV, XXVI, XXVII) reliquias orationis, qua Platonem homo infestus pungit obiciens ei inesse eius scriptis πλατυσμὸν πουλυμαθημοσύνης (fg. XXV), quod huc pertinere confidentius affirmo ob παράγραμμα inter uocem πλατυσμός et Platonis nomen factum), nempe eum Philolai libris doctum esse τιμαιογραφεῖν (fg. XXVI), Sophronis mimis dialogos scribere (fg. XXVII); nec non fg. XXVIII,

quo Menedemus orationem habuisse, et fg. XXVIIII, quo Heraclitus ut idem consilium exsequeretur surrexisse dicitur, deinde fg. XXX, quo nescio quis acriter increpat Ctesibium Chalcidensem; cunctabundus denique adicio fg. XXXI, quibus uerbis quendam ab aduersario laceratum esse conicio.

Post saeuissimam pugnam descriptam iam Pyrrho omnibus quibus ceteri philosophi laborant libidinibus et fraudibus inuictus prodit (fg. XXXII) rixasque terribiles componit oratione grauissima in omnes philosophos ob altercandi studium inuectus (fg. XXXIII et XXXIIII); sic omnes conuicti a Pyrrhone quocum nemo certare conatur (fg. XXXV) obmutescunt, itaque Pyrrho recuperauit tranquillitatem ad beate uiuendum ipsi maxime necessariam uisam (fg. XXXVI). Quem cum Timon hunc in modum ἐν νηνεμίῃσι γαλήνης uersantem uidet (fg. XXXVII), sese ad eum conuertit insigniter eum laudans, quod omnium sophistarum fraudibus inuictus spretis eis rebus quae nullius sint pretii omnium unus uere beatus uiuat (fg. XXXVIII). Has splendidissimas in laudes exiisse arbitror librum primum; Philippi tamen Atheniensis parodi etiam diserto testimonio primo libro inesse traditur (fg. XXXVIIII) mentio, quae quomodo facta sit ut multae possunt excogitari rationes ita nulla probari.

In secundo libro suspicor primum Xenophanem, qui philosophorum certamini non interfuit, prodire (fg. XXXX) et a Timone interrogari, cur in proelio committendo non adfuerit. Quo facto respondet, sese nihil curare omnes istos philosophos nugatores neque Socraticos, Phaedonem, Euclidem (fg. XXXXI), neque Academicos (fg. XXXXII) neque Aristotelem (fg. XXXXIII), sed optare sibi βαρὺν βουπλῆγα (fg. XXXXIIII, quod expressis uerbis secundo libro assignatur), quo hos argutatores possit percellere; sibi sapientiae tantum studium cordi esse semperque fuisse, neque enim sibi uiuo Lydorum luxuriosam uitam placuisse (quam ipse in elegia apud Athen. II, p. 324 b castiganit), sed Graecorum simplicem uictus consuetudinem (fg. XXXXV item diserte secundo libro attributum); nihilo setius ueram uiam quamuis sapientiae studiosissimum se non repperisse (fg. XXXXVI). Qua de re postquam effudit querelas, quibus cauet Timon ne

quis putet Xenophanem, qui ab ipso statim omnes praeter Pyrrhonem philosophos reprehendens depingitur, Pyrrhoni usquequaque parem esse, iam Timon eum de singulis philosophis interrogat Xenophanesque respondet omnes aculeatis uerbis perstringendo, quo munere ut perfungatur ipse peridoneus a Timone exhibetur, quippe qui fuerit et ipse σιλλογράφος praecipueque Ὁμηραπάτης ἐπικόπτης et unus ex antiquissimis philosophis, itaque optime possit cognitos habere omnium philosophorum mores doctrinas uitas ex diuturna cum eis in Orco consuetudine.

Huius igitur colloquii sunt uersus, quibus agitur de Anaxagora (fg. XXXXVII), de Empedocle (fg. XXXXVIII), de Protagora (fg. XXXXVIIII, quod a Sexto Empirico secundo libro adscribitur), de Socrate (fg. L), de Platone (fg. LI et LII), de Socraticorum scriptis (fg. LIII et LIIII). Hos fere ut priores philosophos pertractat Xenophanes in secundo libro.

In tertio contra posteriores philosophos exagitat Epicurum (fg. LV et LVI, quorum alterum tertio libro infuisse plane Athenaeus dicit), stoicos (fg. LVII), quos inprimis ob grammaticum studium lacerat (fg. LVIII), inter eos Dionysium Heracleotam (fg. LVIIII).

Postremo Timon uidetur a Xenophane interrogatus quinam philosophi nunc florerent respondisse, esse quidem permultos Alexandriae sed futiles (fg. LX), esse etiam Aristoneos (fg. LXI) sed hos quoque nanos; perpaucos tantum sibi placere, ut Eurylochum Pyrrhoneum (fg. LXII) (de hoc enim neque de Pyrrhone, ut Paul p. 49 opinatus est, agi totius loci conexu euincitur) uel Philonem eundem scepticum (fg. LXIII); namque hunc Pyrrhonis γνώριμον (cf. L. D. IX, 67) aeque atque Pyrrhonem (cf. L. D. IX, 64) αὐτολαλητήν a Laertio commemorari, minime Philonem ἐριστικόν, ut Meineke ad anthol. Gr. p. 150 arbitratus est, neminem qui Laertii uerba accuratius perpenderit negare posse puto.

Potuit tamen de his duobus ut mortuis (nam num eo tempore quo Timon sillos scripsit superstites fuerint, ignoratur) Xenophanes loqui; temporisque item ratione diiudicandum est,

utrum Xenophanes an Timon Aristonis mentionem fecerit tertio certe libro (cf. Athen. l. s.) iniectam (fg. LXIIII).

Prorsus denique nihil pronuntiari potest, quo in libro ea uerba, quibus contineri conicio iudicium de exili quodam alicuius philosophi scripto statutum, sint prolata (fg. LXV).

Hanc igitur misere dilacerati carminis dispositionem resuscitare conatus sum, non ita quidem ut arbitrarer licere ultra probabilitatem ad maiorem fidei gradum adscendere, immo bene memor nonnunquam hunc ipsum uix posse attingi; attamen spero fore ut in uniuersum ea quam animo concepi paucisque adumbraui imago non ualde a uera et pristina abhorreat specie. Certa enim duo mihi uidentur: et totum poema in νεκυίας formam esse redactum et in primo libro λογομαχίαν inter philosophos commissam esse descriptam; tertium certum non uidetur, sed est, ut quod stabilitum Laertii testimonio, Xenophanem secundo tertioque libro a Timone interrogatum de singulis philosophis disseruisse.

Restat ut dicam de nonnullis reliquiis quae num Timonis sillis attribuendae sint iure ambigi licet.

Primum ea Timonis uerba quae Eustathius affert (fg. LXVI) nulli eius scripto maiore cum probabilitate assignes quam sillis quippe de potatore aliquo philosopho dicta, nisi malis omnino ea Timoni abiudicare.

Deinde cum sillographum qui commemoratur a Tzetza (fg. LXVII) Timonem fuisse ueri sane est simillimum, quamuis nequeat in tanta obscuritate quidquam affirmari confidentius.

Denique duos uersus, quibus ex Homero parodice detortis philosophi irridentur, qui auctoris nomine non addito laudantur, si quis Timonis sillis attribuerit, me quidem non repugnante id fecerit. Nam fg. LXVIII Timonis sillorum esse, quippe in quibus permultum de σοφισταῖς i. e. omnibus ceteris philosophis ueroque σοφῷ i. e. Pyrrhone agatur, malim conicere quam cum Bergkio in add. et corrig. poet. lyr. Gr. ed. alt. p. 1081 Cratetis cynici; tum quin Chrysippum Timon perstrinxerit (fg. LXVIIII) temporum saltem ratione non prohibetur.

Neque tamen inter Timonea commemorandum duxi id quod a Paulio fg. 55 positum est ap. Athen. XII, p. 518 e *ἐπιχωριάζειν παρ' αὐτοῖς* (Sybaritis) *διὰ τὴν τρυφὴν ἀνθρωπάρια μικρὰ τοὺς σκωπαίους ὥς φησιν ὁ Τίμων τοὺς καλουμένους παρά τισι στίλπωνας*, quod etsi arguto artificio adhibito poteris Timonis sillis seruare ita ut putes extitisse talem fere uersum: *εἶδον σκωπαῖον τὸν καὶ στίλπωνα καλοῦσι*, quo Timon Stilponem hominem obscoenum (cf. Cratetis fg. I) quasi nanum, ut Zenonem anum, castigauerit, tamen leni mutatione cum Th. Roepero (ap. Meinek. exerc. in Athen. spec. II, p. 22) *Τίμαιος* nomen pro *Τίμων* scribendo tota res tam facile et plane expeditur ut in hac coniectura acquiescere praestet.

Iam uero Timonis sillorum elegantiae et facetiae tam sunt exquisitae atque tam hactenus uel spretae uel ignoratae uel certe non accurate exploratae, ut necessarium censeam pauca de earum maxime praecipuis disputare. Nolo quidem quasi puluisculo exhaurire omnes eius lepores, sed animum tantum aduertere ad duo quibus inprimis excellit genera. Mitto igitur quanta acumina insint in *πεπαρῳδημένοις* Homericis uersibus, quod nemo non sentit, mitto quanta in comparationum uiuidissimarum et acerbissimarum copia; dicam tantum de allitterationibus siue mauis uocare *παρονομασίας* et de *ἀμφιβολίας*.

Placuit enim Timoni quam maxime philosophorum cauillationes immixtis cultis allitterationibus multo acerbiores reddere. Earum et bellissima et mordacissima illa est quam aliquotiens in Platonis nomine sibi indulsit: *ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων ὁ πεπλασμένα θαύματα εἰδώς* (fg. LI), *πλατίστατος* (fg. VII), *πλατυσμός* (fg. XXV), *πλατυρημοσύνη* (fg. XXXXII). Similem speciem prae se ferunt aliae *παρονομασίαι*: *Ἔρις ... Νείκης ... ἔριθος* (fg. XIIII), *ὄλμος ἄτολμος* (fg. XXIIII), *μυκτὴρ ῥητορόμικτος* (fg. XV), *ἄρχων ὣς ἀρχὰς διέθηκε* (fg. XXXXVIII). Denique *ἡνίκ' ἐχρῆν δύνειν νῦν ἄρχεται ἡδύνεσθαι* (fg. LVIIII). Neque aliter comparatum fuisse conicio iocum in fg. XXVII inter *μίαρους* et *ἐμμαήθης* factum.

Summis autem in deliciis habuit acutas *ἀμφιβολίας*, quibus cum uulgaria tantum proferri uideantur ambigui uerbi immo-

lucro tecti latent egregii aculei, quas easdem Matron in Homericis parodiis lubenter (cf. u. 17. 63. 77. 93. 112) adhibuit.

Earum ut prae ceteris insignes quasdam afferam, Zeno in fg. IIII nuncupatur *πολύδοξος* i. e. cum praeclarus tum multis opinionibus refertus, *δόξαν* enim hac potestate saepe usurpauit Parmenides (cf. Karsten ad Parmenid. u. 30 p. 68) similiterque Damascius ap. Phot. bibl. p. 337, 38 uoce *πολυδοξία* utitur de eo qui multas *δόξας* neque *ἐπιστήμην* habet; idemque appellatur *ἀμφοτερόγλωσσος*, qua uoce describitur et in utramque partem sophistarum modo disputans itaque ambigue fluctuans et inuentor dialogi (cf. L. D. III, 47), i. e. utriusque personae quas loquentes facit sermone utens (cf. Ross comm. Laert. p. 192 sq.). Atque in fg. XI Prodicus uocatur *λαβάργυρος ὡρολογητής* et ut deformetur homo qui exacte ad horologium tempus metiatur quod sermonibus suis mercede habitis impendat et quia Horis libro suo recitato magnas opes sibi comparauerit (cf. Meineke exerc. in Athen. I, p. 31). Cleanthes uero in fg. XXIIII *μωλυτὴς ἐπέων* uocatus perstringitur cum quod ingenii duritie et argute ex Stoicorum more de uerbis tantum neglecta sententia disputando ipsa uerba quasi debilitet, tum quod Homericorum uersuum (*ἐπέων*) egregium uigorem allegorice interpretatus infringat eleganter simul respecta eius explicatione uocis *μῶλυ* in Od. *κ*, 305, ubi dixit ille *ἀλληγορικῶς δηλοῦσθαι τὸν λόγον δι' οὗ μωλύονται αἱ ὁρμαὶ καὶ τὰ πάθη* (cf. Apollon. lex. Hom. s. u. *μῶλυ*), (cf. Sengebusch diss. Hom. I, p. 67); eademque duplici potestate homo ille Assius uenuste *λίθος Ἄσσιος* appellatur, lapis enim Assius fuit notissimus *σαρκοφάγος* quippe in quo conditae carnes celeriter absumerentur (cf. Plinius hist. nat. 36, 27). Similiter primo obtutu in fg. XXX Ctesibius Chalcidensis uerbis *ἔχων κραδίην ἀκύλιστον* notari uidetur propter cordis asperitatem, sententia autem accuratius perspecta ob uentris summam eo quod nimis gulae indulgeret effectam duritiam eum carpi intellegitur. Item consulto suspicor a Timone Empedoclem esse uocatum *ἀγοραίων ληκητὴν ἐπέων* clamatorem uerborum forensium, cum reipublicae summam operam nauasset, ratione tamen simul alterius uocum *ληκητής* et

ἀγοραῖος stuprandi et rusticitatis potestatis habita; neque possum non arbitrari ambiguitatem inesse in eis quae sequuntur uerbis *ὅσα δ' ἔσθενε τοσσάδε εἶλων ἄρχων ὡς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων.* Castigatur enim hic Empedocles primum quod ipse quasi rex ab Agrigentinis honoratus in eorum ciuitate *δημοκρατίαν* (*ὅσα δ' ἔσθενε τοσσάδε εἶλων*) constituit itaque effecit, ut imperium esset penes eos quibus imperatore opus esset (cf. L. D. VIII, 72), deinde quod *ὅσα δ' ἔσθενε τοσσάδε εἶλων* elementa (nam primus quattuor uoluit esse, cum antea unum uel duo credidissent) statuit sed ea ipsa ita comparata, ut aliis indigerent, cum singula per se nihil possent procreare sed solum *'Ανάγκῃ* moderante simul *Φιλίᾳ* aut *Νείκει* impulsa. Pariter in fg. L in adiectiuo *λαξόος* praeter uulgarem lapicidae potestatem Timon uoluit inesse singularem uim populi perpolitoris, qua depingitur Socratis studium hominum mores perpoliendi (cf. Langheinrich diss. III, p. 11); et ad describendum eundem Socratem ob notissimam nasi eius formam adhibuit ambiguum uocabulum *μυκτήρ*; neque eundem temere in fg. LII *ἠθολόγον* nuncupauit, qua uoce eum non modo hominem de ethicis solis rebus disputantem uerum scurram quoque dixit. Denique si quis Epicurum in fg. LV *ὕστατον* tantum ultimum appellari putet, ualde errabit, reconditior enim latet superlatiuus audacter a uoce *ὗς* eadem ratione qua *κύντατος* a uoce *κύων* deriuatus (cf. Orelli ad Hesych. Miles. p. 22).

Praeterea Timon uetustatem inde adsciuit carmini suo quod maximam sibi sumpsit licentiam in cudendis, praecipue conglutinandis miris uocabulis, eâ re simul irridens summum philosophorum uerba nouandi studium; uel in eis enim paucis quae seruatae sunt reliquiis plus quinquaginta reperiuntur uocabula *ἅπαξ εἰρημένα* pleraque ab ipso ficta quorum ex litterarum ordine digestum indicem subieci in fine disputationis.

Quae cum ita sint, si quis animo repetat quanta difficultate Timonis sillorum intellectus sit obstructus, quam arte porro contracta cum Graecis philosophis familiaritas necessaria sit ut Timonis cauillationum acumina perspiciantur, concedet Timonis carmen accurata enarratione quam maxime indiguisse. Atque re uera

commentandi operam duos scimus ei praestitisse, Sotionem et Apollonidem Nicaeensem. Atque Sotionis, qui idem *τὰς διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων* scripsit (de quo cf. Voss de hist. Gr. p. 233 Westerm., Clinton fast. Hell. III, p. 526), *περὶ τῶν Τίμωνος σίλλων* liber laudatur ab Athen. VIII, p. 336 d, quo eum impugnauisse Timonem eiusque indicia explosisse putauerunt Voss de poet. Gr. p. 62 et de hist. Gr. l. s. et Hecker in philolog. V, p. 433, cum ex uno illo quo citatur loco concludas ab eo docte explicatos potius esse sillos quam impugnatos. Alter Apollonides Nicaeensis (de quo cf. Clinton fast. Hell. III, p. 555) compluribus libris ad Tiberium Caesarem scripsit sillorum commentarium cf. L. D. IX, 109 *Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς ὁ παρ' ἡμῶν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τοὺς σίλλους ὑπομνημάτων ἃ προςφωνεῖ Τιβερίῳ Καίσαρι.* Verba *ὁ παρ' ἡμῶν* neque mutanda cum nonnullis in *ὁ πρὸ ἡμῶν* censeo neque explicanda cum Bergkio comm. crit. spec. VI, p. 8: „eidem ut Diogenes philosophorum familiae addictus"; Diogenem enim, quem ut certae sectae modo Platonicae modo Epicureae modo Potamoneae assignarent mire se torserunt homines docti, nulli potius omnino sectae addictum fuisse credo. Itaque uerbis istis uoluit fortasse Diogenes Apollonidem municipem suum dicere, qua in re certe non obstat *Λαέρτιος* nomen quod a Laerte patria ductum esse merito negauit Roeper in diar. antiq. X, p. 433.

Iam autem confido neminem aegre esse laturum quod congestis dispositisque Timonis sillorum reliquiis adieci integram scripturae discrepantis farraginem, praesertim cum reputauerit, quam incommode dispersae sint scripturae codicum Laertii Diogenis qui plurimas seruauit reliquias. Namque praeter pauca ea quae ex codicibus in adnotationibus a Stephano et a Menagio passim sunt allata, Arundeliani et Cantabrigiensis codicum cum editione Aldobrandiniana a Thoma Galeo collatorum discrepantiae enotatae sunt in Diogenis editionis Wetstenianae tom. II, p. 557—566; tum lectiones codicis Monacensis a Spengelio cum Huebnero communicatae et Vindobonensis 106 aliorum parum commode in eius editionis appendice critica sunt exhibitae. Praeterea addendas duxi, quas non nihili faciendas esse

persaepe cognoui, discrepantias earum editionum quas ad libros manuscriptos scimus esse expressas, Basiliensis Frobeni a. 1533, Henrici Stephani a. 1570, Romanae Petri Aldobrandini a. 1594 nec non interpretationis Thomae Aldobrandini; namque cuius auctoritas maxima est Ambrosiana hic uti fere non licuit, cum omnium fere uersuum interpretatio ab Ambrosio non sit profecta (cf. Roeper in diar. antiq. X, p. 158). Accedit denique, id quod in tanta testimoniorum et inopia et ambigua fide exoptatissimum euenit, ut licuerit mihi per Friderici Ritschelii praeceptoris optimi beneuolentiam, cui singulari liberalitate C. G. Cobetus schedas suas utendas concesserat, adicere discrepantias scripturae codicum Laurentianorum plutei LXVIIII, 13 et 28 et 35 a Cobeto ad exemplar Meibomianum excussorum. Quorum codicum omnium praestantissimus neque primus est quode cf. Vsener anal. Theophr. p. 2 neque alter qui uehementer passim interpolatus est sed tertius. In afferendis tamen lectionum discrepantiis eam quam ex disciplinae seueritate decet rationem sequi potui in editionibus, in interpretatione, in codice primo Laurentiano et Monacensi, non potui in codicibus ceteris, cum et Stephani et Menagi et Galei et Huebneri codicum scripturae non commemorentur nisi perraro et duo reliqui Laurentiani libri singulis modo locis inspecti sint a Cobeto; itaque horum codicum lectiones ubicunque enotatas repperi adieci. Cobeti igitur inprimis humanitati debetur quod potui has Timonis sillorum reliquias paululum magis in integrum restitutas proferre. Qua in re ne in probandis uel aliorum uel meis coniecturis audacior quam cautior uidear uersatus esse neue male memor quam difficile sit in talibus rebus certa eloqui, sciri nolo rationem me secutum esse quasi primariam eam, ut putarem a scriptoribus praecipue a Laertio Diogene Timonis uersus laudari non tam insane abruptos ut nisi scires ea quae uel antecederent uel sequerentur nullo unquam modo possent intellegi.

Quodsi colligimus, quibusnam maxime in rebus Timonis sillorum naturam positam esse uiderimus, non poterimus sillos non dicere carmina didactica quibus δογματικοί praecipue philosophi heroicis uersibus ex Homero plerumque parodice detortis perstringuntur.

Sillorum autem poesis non statim nata est eximio illo flore ornata quo Timonianos splendere uidemus, sed ab initio exiguo paulatim incrementis undique captis ad summum perfectionis fastigium processit. Etenim, quoad etiam nunc cognoscere licet, in primis incunabulis silli nihil continuerunt nisi irrisionem *δογματικῶν* quorundam inclusam uersibus heroicis ex Homero saepe deflexis, didactici illi tantum neque iocorum iucunda uarietate neque epica uirtute excellentes. Tales certe sillos persuasissimum habeo fuisse eius, quem primum in hac poesi polluisse traditum est, Xenophanis Colophonii.

Xenophanes Colophonius utrum sillos scripserit an non quaestionem me iudice non admodum impeditam miros in modos exagitauerunt et ut fieri solet perturbauerunt longo ex tempore uiri docti permulti, quorum singulos errores refutare uera rei ratione exposita superuacaneum censeo, sed si quem talia cognoscere iuuat, conferat Casaubon. de satir. poes. p. 223 sq. Ramb., Fabric. bibl. Gr. uol. II, p. 617 Harl., Fülleborn. *beitr. z. gesch. d. philos.* fasc. 7, p. 1 sq., Paul. de sillis p. 15 — 21, Karsten. Xenophan. p. 23 sq., Weland. de Hom. parod. p. 15 — 21 alios. In idem crimen ne ipse incidam, singulos locos quibus Xenophanes sillographus commemoratur deinceps proferam et examinabo.

1) Strabo XIV, p. 643 Casaub. *ἄνδρες ἐγένοντο Κολοφώνιοι . . . Ξενοφάνης ὁ φυσικὸς ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας διὰ ποιημάτων.* Haec uerba tam manifesta sunt ut nihil supra possit. Nihilo setius Paul p. 18 inde argumentum petiit quo sillos a Xenophane scriptos esse refutaret interpretatus: „qui sillos fecit per collectionem carminum sparsos". Quam interpretationem iam eam ob causam rectissime reiecit Weland l. s. p. 20, qui omnino prudentissime hac de re disputauit, quod si haec uoluisset Strabo dicere, necesse fuisset ad uocabulum *ποιημάτων* articulum addi. Sunt autem uerba cum eodem simpliciter explicanda: „qui fecit sillos uersibus inclusos" cf. L. D. IX, 22 *φιλοσοφεῖ διὰ ποιημάτων*; *διὰ ποιημάτων* cur addenda censuerit Strabo causa non deest, posterioribus enim temporibus silli uidentur parum noti fuisse et *σιλλογράφος* quiuis scriptor maledicus

nocatus (cf. Ammian. Marcell. XXII, 16; Iulian. orat. VII, p. 207 Spanh.).

2) L. D. IX, 18 *γέγραφε δὲ καὶ Ξενοφάνης ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ᾿ Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα*, quae nisi uelis putare Laertium prorsus contra simplicem suum morem omnemque orationis aequabilitatem contortissime conexuisse singula orationis membra, non poteris neque simplicius neque aptius interpretari quam hac ratione: scripsit etiam uersibus constrictos libros eosque et elegias et carmina probrosa contra Homerum et Hesiodum composita ea quae de deis dixerunt castigans; nam *ἴαμβος* uocabulum saepe hac potestate usurpatur (cf. Lucian. bis acc. 33; Aristot. rhet. III, 17; Athen. X, p. 445 *οἱ καταλογάδην ἴαμβοι*). Accedit, quod nullum extat uestigium iamborum quos contra Homerum Hesiodumque scripserit, iamborum omnino unum tantum idque admodum incertum in schol. Vatic. Hippocratis in eph. litt. Gott. 1852, p. 419, adsunt contra complures uersus hexametri contra Homerum Hesiodumque conscripti.

3) Schol. ABL Iliad. B, 212 *οὐ Ξενοφάνει ἀλλ᾿ Ὁμήρῳ πρώτῳ σίλλοι πεποίηνται* (cf. Eustath. ad l. s. p. 204, 21 ed. Rom. *οἱ παλαιοὶ παρασημειοῦνται ἐνταῦθα ὅτι οὐ μόνον Ξενοφάνης πεποίηκε σίλλους ἐν οἷς εὐδοκίμηκεν* etc.). Quo loco statim elucet ceteroquin a grammaticis litteratis Xenophanem primum sillographum constitutum esse.

4) Procl. ad Hesiod. op. et dies u. 284 *Ξενοφάνης διὰ δή τινα πρὸς τοὺς κατ᾿ αὐτὸν φιλοσόφους καὶ ποιητὰς μικροψυχίαν σίλλους ἀτόπους ἐκθεῖναι* (*συνθεῖναι* cod. reg. Paris. 2771) *λέγεται κατὰ πάντων φιλοσόφων καὶ ποιητῶν*.

5) Tzetz. ap. Bernhardy. ad schol. Dionys. Perieg. p. 1010 *σιλλογράφος νῦν ὁ Ξενοφάνης* (cod. *Ζενοφάνης*) *ἐστὶ καὶ ὁ Τίμων καὶ ἕτεροι*.

6) Denique in schol. Aristoph. equit. 406 et Eudoc. p. 87 *Ξενοφάνης ἐν σίλλοις* unusque eius uersus heroicus laudatur.

Adsunt igitur sex certissima testimonia, quae quam perniris rationibus inflectere studuerint si quis scire cupiat, euoluat quos supra laudaui libros. Ea tamen quae profert Menagius ad L. D.

IX, 111 „sancti patres sillos Xenophanis Silleuos uocant". uere an falso sint dicta nescio, certe quamuis diligenter quaesiuerim nullum huius rei indicium repperi.

Accedunt autem multa alia quibus Xenophanis silli quales fuerint accuratius describantur.

Primum enim Homerum et Hesiodum a Xenophane irrisos esse non solum testantur L. D. l. s. et II, 46 *καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς ἐφιλονείκει . . . Σύαγρος Ὁμήρῳ ζῶντι, ἀποθανόντι δὲ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος. καὶ Κέρκωψ Ἡσιόδῳ ζῶντι, τελευτήσαντι δὲ ὁ προειρημένος Ξενοφάνης*, Timon in fg. XXXX *Ξεινοφάνης ὑπάτυφος Ὁμηραπάτης ἐπικόπτης*, Plutarch. apophthg. reg. p. 10 *Ὅμηρος ὃν σὺ (Ξενοφάνης) διασύρεις*; uerum etiam aetatem tulerunt quattuor uersus hexametri (fg. II) quibus Homerum Hesiodumque ob fabulas inhonestas de deis fictas lacerat Xenophanes. Tum Thaletem Pythagoram Epimenidem perstrinxisse dicitur a Laertio D. IX, 18 *ἀντιδοξάσαι τε λέγεται Θαλῇ καὶ Πυθαγόρᾳ, καθάψασθαι δὲ καὶ Ἐπιμενίδου*; Pythagoramque in elegia quoque cauillatus est ob *μετεμψύχωσιν* atque Epimenidem patet cur aggressus sit, ille enim *θεογονίαν* scripsit (cf. L. D. I, 110), Xenophanes autem dixit eos qui deos natos esse perhiberent non minus *ἀσεβεῖν* quam qui mortuos (cf. Aristot. rhet. II, 23).

Constat igitur a Xenophane scriptos esse sillos i. e. carmina quibus Thaletem Pythagoram Epimenidem philosophos *δογματικούς*, Homerum Hesiodumque poetas *δογματικούς* praecipueque peruersas eorum de deis narrationes et opiniones uituperauerit uersibus hexametris passim Homericis parodiis distinctis, ut uidere est in reliquiarum quam subieci collectione.

Attribui autem sillis ea tantum fragmenta quae certissima cauillationis uestigia prae se ferant, ut fg. IIII, quod non miro illo modo quo explicuit Schneidewin in Caes. diar. antiq. 1843 p. 740 sed cum Sengebuschio Hom. diss. I, p. 131 interpretor ita, ut putem Xenophanem aegre tulisse, quod pueri in ludis Homero maxime legendo et discendo exercerentur, inde enim pestem ruere per omnium animos prauas de deis opiniones seren-

tem. Atque studet multis ostendere quam peruersa sit illa Homeri Hesiodique uulgo omnino probata *θεῶν ἀνθρωπομορφία*, uerumque esse unum tantum deum hominibus nullo modo similem (fg. V—VIIII); praesertim autem quod scelestissima deis imputauerint facinora (fg. II) increpat Homerum et Hesiodum. Dubitari quidem potest num nonnulla quae carmini *περὶ φύσεως* tribui solent sillorum fuerint, nisi tamen ea quod Xenophanem ut in elegia uituperauit *πλάσματα τῶν προτέρων μάχας Τιτήνων Γιγάντων Κενταύρων* (fg. 21 Karsten) et Pythagorae *μετεμψύχωσιν* (fg. 18), in hoc quoque carmine similia protulisse ueri non est dissimile. Prorsus autem incertum est quod sillis coniectando attribuit G. Dindorf, qui in Herod. *π. μον. λέξ.* p. 7, 11 *παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν διυσίλλωνι καὶ ἐπιθυμήσειε νέος νῆς ἀμφιπόλοιο*, postquam in editionis praefatione p. 6 *Ἀριστοφάνει ἐν Αἰολοσίκωνι* (quod probauit Lehrs p. 17) uel *ἐν Βαβυλωνίοις* correxit, secundis curis in adnot. ad schol. Aristoph. equit. 408 in ed. Inuerniz. uol. XII, pag. 465 una cum Seidlero incidit in hanc mutationem *παρὰ Ξενοφάνει ἐν δ´ τῶν σίλλων· εἴ κ' ἐπιθυμήσειε* etc., quae si probabilis esset coniectura simul doceremur a Xenophane certe quattuor sillorum libros esse scriptos. Firma denique opinor ratiocinatione nisus sillis tribui unicum quod ab Athen. II, p. 54 seruatum est *παρῳδιῶν* fragmentum, id quod iam Harles ad Fabric. bibl. Gr. II, p. 617, et Schneidewin in diar. antiq. 1843, p. 740, delect. poes. lyr. Gr. p. 40 fecerunt; perperam enim indicarunt Weland p. 21 et Karsten p. 55, qui censuerunt inesse hic senilem quandam hilaritatem prorsus ab acerbis Homeri Hesiodique irrisionibus abhorrentem. Sed inest profecto acerba Homeri irrisio, cum dicat Xenophanes, eum qui satur uino bibendo iucundeque nugando horam perdere uelit decere talia fabulari *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν* etc.; posse igitur ei quidem condonari, sed dedecere hominem honestum poetamque grauem talia garrire, qualia adamasse Homerum scimus.

Quamquam ergo de conexu Xenophanis sillorum nihil certi potest proferri, id tamen apparere puto, Xenophanis sillos simpliciter tantum didacticos fuisse neque in epicam formam redactos,

itaque eos non ualde discrepasse a Romanorum saturis. Inde poterit etiam certum statui iudicium de Appuleio florid. IV, 20 „canit Xenophanes (cuius nomen pro Xenocratis prorsus inepto iam Casaub. de satir. poes. p. 224 reuocauit) satiras"; potuit enim suo iure Appuleius omnino illo loco haud ita accurate locutus Xenophanis sillos satiras uocare.

Nullus praeterea disertis uerbis commemoratur a ueteribus ipsis *σιλλογράφος*, nam ut de Homero sillographo (cf. schol. Il. *B*, 212; Eustath. p. 204, 21 et p. 1850, 33 ed. Rom.) taceam, ne Didymus quidem Chalcenterus potest ullo iure hoc nomine appellari, quamuis sit appellatus a nonnullis, ut a Vossio instit. poet. II, c. 20. Quamquam enim ab Ammiano Marc. XXII, 16 dicitur Ciceronem reprehendisse sillographos imitatus (qua de re cf. Fr. Ritter Didym. p. 3 et M. Schmidt Didym. p. 399), tamen et Ammianus id quod ipse uerbis additis ostendit solam maledicam Didymei libri naturam ita describere uoluit neque traditum est quomodo is liber comparatus fuerit.

Verum enimuero non statim sillorum poesis simplicem quae in didacticis Xenophanis sillis cernebatur uestem exuit Timoneamque epica specie ceterisque luminibus distinctam induit, sed id quod certissimis firmamentis probare me posse puto Timoni tradita est exornata cynicorum *σπουδογελοίῳ* habitu. Quae priusquam aggrediar necesse est paucis explicem cynicorum illud notissimum *σπουδογέλοιον*, praesertim cum ne nunc quidem extiterit qui iustissimum desiderium Welckeri praef. Theogn. p. XCV, n. 146 expleuerit accurate perscrutatus „totum hoc genus parum ex nimis dissitis fragmentis cognitum quod fuit in cynicorum acuminibus salibusque, *παιγνίοις* et dialogis nouum id nouisque istius sectae rationibus ac moribus constitutum . . . . historiam litteraturae Graecae loco non ultimo locupletaturus immo cuius splendore non exspectato oculi praestringantur unius alteriusue".

C y n i c i igitur repudiabant omnes liberales disciplinas uel *ἐγκύκλια μαθήματα* ut ait L. D. VI, 104, quippe quae neque necessaria neque utilia essent (cf. L. D. VI, 27. 39. 65. 73 et omnino quos locos affert Zeller hist. phil. Gr. ed. alt. II. p. 207, n. 2) philosophiamque rationem solum sapienter uiuendi neque

scientiam existimabant (cf. L. D. VI, 63. 86, Iulian. orat. VI, p. 193 Spanh.); itaque omnes qui eiusmodi studiis uacauerunt acerbissime ab eis irrisi sunt eoque acerbius quo confidentius illi opinionibus suis freti essent. Quam ob causam *δογματικοί* praecipue ab eis lacerati sunt philosophi, ut Euclides Megaricus a Diogene (cf. L. D. VI, 24), Plato ab Antisthene cum alias (L. D. VI, 7. 25. 26. 58) tum in dialogo quem *Σάθωνα* inscripsit (cf. Athen. V, p. 220; XI, p. 507; L. D. VI, 7; III, 35) atque a Diogene (cf. L. D. VI, 24—26. 53. 58), Stilpo a Cratete (L. D. II, 117) Menedemus ab eodem (L. D. II, 131; VI, 91), Epicurus a Menippo (L. D. VI, 101), stoici ab eodem (Athen. XIV, p. 629), denique Xenocrates a Bione (L. D. IV, 10), quem et in agendo et in dicendo ut germanum cynicum se gessisse usquequaque apparet (cf. etiam L. D. IV, 51), cui a quibusdam idcirco nonnulla dicta assignantur quae uulgo Diogeni aliisue cynicis; sed etiam alii a cynicis lacerati sunt, uelut grammatici Diogene (cf. L. D. VI, 28) et Menippo (L. D. VI, 111) et Bione (Stob. floril. IV, 54), mathematici a Diogene (L. D. VI, 28), Bione (L. D. IV, 53), Menippo (L. D. VI, 101; cf. Lucian. Icaromenipp. 6), astronomi a Diogene (L. D. VI, 39) et Bione (Stob. floril. LXXX, 3), musici a Diogene (L. D. VI, 27. 65) atque a Bione (L. D. IV, 53), rhetores omnesque *ἐνδοξολογοῦντες* a Diogene (L. D. VI, 47. 28), quorum Demosthenes a Diogene (L. D. VI, 34), Isocrates ab Antisthene (cf. Vsener quaest. Anaxim. 7 sq.) notati sunt.

Praeterea a cynicis, quippe qui *ἀτυφίαν τὸ τέλος* haberent et *ἐλευθερίαν* qua ab omnibus libidinibus et affectibus homo sit uacuus, cunctos qui cupiditatibus dediti essent impigre esse perstrictos nemo nescit. Quamuis igitur essent ei ut cum Luciano loquar *κύνες ὑλακτικοὶ καὶ κάρχαροι* fere omnes qua erant *παρρησίᾳ* allatrantes, tamen fuit totus cynicorum sermo *σαίνοντι ἅμα ἐοικὼς τῷ καὶ δάκνοντι* (cf. Demetrius *π. ἑρμην.* §. 260) neque reprehenderunt homines *μετὰ πικρίας ἀλλὰ μετὰ χάριτος* (Iulian. orat. VI, p. 201). Mitigauerunt enim castigationes immixtis acuminibus salibus leporibusque egregiis, quorum nunc duo potissimum genera ut comparationum frequentiam alia omittam enucleabo, non quod existimem eis contineri totos eorum

iocos quos ad amussim exigere ut longum ita inutile est, sed quia censeo esse haec grauissima et maxime insignia, quibus explicetur mira quae eorum dictis scriptisque infuit *πειθώ* et *ἴυγξ* (cf. L. D. VI, 75. 76. 14) et quae maxime faciant ad id quod nunc persequor consilium illustrandum. Id unum moneo totum hoc genus *σπουδογέλοιον* exiguis exordiis ab Antisthene positis enatum maxime esse per admodum festiuam Diogenis uirtutem suapte natura iam egregiam atque etiam magis excultam consuetudine quae uidetur illi fuisse cum *τοῖς ἑξήκοντα* in Cynosarge uersatis (cf. Athen. XIV, p. 614 d), post fere omnibus cynicis posse assignari (cf. Demetrius *π. ἑρμην.* §. 170, 259 sq.) Crateti Bioni Menippo Meleagro, de quibus infra dicam, Monimo qui scripsit *παίγνια σπουδῇ λεληθυίᾳ μεμιγμένα* (L. D. VI, 82).

Cynici igitur apud quos laetissime Homerica studia effloruerunt (cf. Sengebusch diss. Hom. I, p. 115—118; Vsener quaest. Anaxim. p. 14—18) familiari cum Homero amicitia contracta non solum saepe Homeri uersus laudauerunt et usurpauerunt, cf. L. D. VI, 52 (Il. *K*, 343); VI, 67 (Od. *α*, 157); VI, 66 (Il. *Γ*, 65); VI, 95 (Il. *Σ*, 392); VI, 103 (Od. *δ*, 392); IV, 47 (Il. *Z*, 211); Arrian. diss. Epict. III, 22 (Il. *B*, 25), uerum etiam perlubenter ridiculis parodiis detorserunt in scribendo aeque atque in dicendo. Diogenes enim formosum adolescentem quem incustoditum obdormientem conspexit his uerbis expergefecit (L. D. VI, 53): surge *μή τίς τοι εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ* (quod obscoene dixit) *πήξῃ* (cf. Il. *Θ*, 95 *μή τίς τοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ*); ei qui pretiosa opsonia emeret dixit (L. D. l. s.): *ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι οἷ' ἀγοράζεις* (cf. Il. *Σ*, 95 *ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι οἷ' ἀγορεύεις*); collectori qui ex ipso stipem (*ἔρανον*) quaesiuisset *τοὺς ἄλλους* inquit (L. D. VI, 63) *ἐράνιζ'* (sic egregie restituit pro *ἐνάριζ'* Stephan. praef. ed. alt. p. 12) *ἀπὸ δέκτορος* (i. e. mendici ut palmariter correxit Menag. ad L. D. l. s. pro *ἀπὸ δ' Ἕκτορος*) *ἴσχεο χεῖρας*. Crates uero (L. D. VI, 90) Thebis siue Corinthi a principe gymnasii flagris caesus cum pede traheretur dixit: *ἕλκε ποδὸς τεταγὼν διὰ βηλοῦ θεσπεσίοιο* (cf. Il. *A*, 591 *ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο*). Item

Crates et Bion parodias Homericas adhibuerunt in nonnullis de quibus infra disputabo. Parodiarum singulare quoddam genus uel certe dictio parodiae simillima habenda est festiua Homeri uersuum accomodatio, qua uerba aliud prorsus quid quam quod poeta noluit dicere cogantur. Qua ex specie est id quod dixit Antisthenes (cf. Dauid. schol. in Aristot. 23 b 11) uel Diogenes (Stob. eclog. II, 8, 21), se credere Fortunam ipsum intuitam elocuturam esse: *τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα* (Il. Θ, 299). Similiter Diogenes cum olinas (*ἐλάας*) ederet, allata placenta olinas abiecit usus notissimis Homeri uerbis (cf. Il. E, 366 etc.) *μάστιξεν δ' ἐλάαν* (cf. L. D. VI, 55); neque aliter cum uidisset quendam in furto deprehensum *πορφυροκλέπτην*, hunc, inquit, *ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή* (Il. E, 83) cf. L. D. VI, 57.

Omnino autem polluerunt cynici usurpandis deflectendisque poetarum uersibus; uelut Euripidis Aeoli uersus *τί δ' αἰσχρὸν ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ* detortus est siue ab Antisthene siue a Diogene *αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ* (cf. Winckelmann Antisthen. fragm. p. 54), pariterque Euripidis Antiopae uersus *γνώμῃ γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις εὖ δ' οἶκος, εἴς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα* a Diogene (L. D. VI, 104) hunc in modum: *γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις εὖ δ' οἶκος, οὐ ψαλμοῖσι καὶ τερετίσμασιν*; similiter eiusdem Hippolyti u. 424 *δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ* imitatus est Bion (L. D. IV, 51) cum diceret *τὴν εὐσέβειαν* (ut uerissime correxit Welcker praef. Theogn. p. XCII) *πονηρὸν εἶναι σύνοικον τῇ παρρησίᾳ, δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύστομός τις ᾖ*. Choerili autem Samii uersus quibus Sardanapali sepulcro inscriptum titulum exposuit *κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται* Crates ita inmutauit: *ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα καὶ μετὰ Μουσῶν σέμν' ἐδάην· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια τῦφος ἔμαρψεν* (cf. Bergk. poet. lyr. Gr. ed. alt. p. 523), neque aliter Solonis elegiam (13 ap. Bergk.) deflexit (cf. Iulian. orat. VI, 199 C et VII, 213 B). Bion denique Theognidem id quod docuit Welcker praef. Theogn. p. LXXXV sq.

et pedestri sermone et uersibus cum serio castigauit tum iocose sugillauit; itaque factum est ut Theognideis quae feruntur intermixta sint cynicorum disticha 1143—1150, 847—852, 1077—1080.

Deinde cynicorum ioci insigniuntur et *παρονομασίαις* bellis et acutis *ἀμφιβολίαις*.

Prioris generis specimina praebet Laertius D. VI, 24 Diogenem *τὴν Εὐκλείδου σχολήν* uocasse *χολήν* et *Πλάτωνος διατριβήν κατατριβήν*, VI, 33 eundem frequentasse hanc sententiam, *ἀναπήρους* (mutilos) esse *τοὺς μὴ ἔχοντας πήραν* sine *ἀπήρους*, VI, 52 ab eodem uestimentorum furem quem in balneis conspexisset interrogatum esse, utrum uenisset *ἐπ' ἀλειμμάτιον ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον*. Antisthenes uero (L. D. VI, 3) uel Bion (L. D. IV, 48) existimauerunt uxorem semper esse malum, pulchram enim fore *κοινήν*, deformem *ποινήν*; item Antisthenes dixit melius esse *εἰς κόρακας* quam *εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν* (L. D. VI, 4); et Bion intuitus columnam cui inscriptum erat *Περσαῖον Ζήνωνος Κιτιᾶ* errasse ait lapicidam, scribendum enim ei fuisse *Περσαῖον Ζήνωνος οἰκιτιέα* (Athen. IV, p. 162 d), idemque fastum appellauit *προκοπῆς ἐγκοπήν* (L. D. IV, 50).

Ἀμφιβολιῶν autem quas summis in deliciis illi habebant haec tantum afferre lubet testimonia. Antisthenes ab adolescente qui se ipsius disciplinae dedere uellet interrogatus quanam re sibi opus esset, *βιβλιαρίου καινοῦ καὶ γραφείου καινοῦ καὶ πινακιδίου καινοῦ* respondit *τὸν νοῦν παρεμφαίνων* i. e. dispescens uocem *καινοῦ* in *καὶ νοῦ* (cf. L. D. VI, 3). Diogenes autem cum uidisset Olympionicam oues pascentem *ταχέως* inquit *ὦ βέλτιστε μετέβης ἀπὸ τῶν Ὀλυμπίων ἐπὶ τὰ Νέμεα* (i. e. *νέμεα* pascua L. D. VI, 49), atque centauros duos pessime pictos intuitus interrogauit (L. D. VI, 51): uter horum est *Χείρων*? (quod ualet et Chiron et deterior). Idem (L. D. VI, 68) medico moecho puellae aliquando oculum curanti suasit, ut caueret ne uirginis oculum curans corrumperet *τὴν κόρην* (quod nimirum aeque pupillam atque puellam significat). Denique (L. D. VI, 68) de puero stuprato cuias esset interrogatus *Τεγεάτης* respondit, quo uerbo et ciuis Tegeae urbis Arcadicae notatur et homo lupanaris. Conferas praeterea sis L. D. VI, 52. 59. 62. 68; Stob. floril. LXXX, 6.

Haec autem omnia quibus splendent σπουδογέλοιοι cynici uides quam egregie conspirent cum eis quibus excellere dixi Timonis sillos; eadem enim est δογματικῶν philosophorum irrisio, eadem Homericorum uersuum parodia, idem παρονομασιῶν et ἀμφιβολιῶν studium. Vsurpauerunt uero cynici hanc rationem non tantum in uulgaribus sermocinationibus atque in dialogis et chriis sed in poeticis quoque scriptis παιγνίοις aliis.

Verum enimuero nonnulli eorum composuerunt carmina quae summo iure et possis et debeas nuncupare sillos.

Horum primus extitit Crates Thebanus. Seruatae enim sunt tres reliquiae quibus philosophi Stilpon Asclepiades Phliasius Menedemus homoque ceteroquin ignotus (nisi forte uelis eundem putare atque egenum hominem, qui commemoratur a Callimacho anthol. VII, 460) Micyllus perstringuntur uersibus hexametris admodum facete ex Homero detortis atque ἀμφιβολιῶν egregia uarietate distinctis, quas inter se artissimo uinculo coniunctas esse inde colligitur quod omnes desumptae sunt ex enumeratione diuersorum quos uiderit Crates philosophorum instituta in Homeri νεκυίας speciem καὶ μὴν εἰςεῖδον etc. Tenemus igitur reliquias Cratetis sillorum qui num unquam a ueteribus hoc nomine sint appellatae ignoratur, quamuis suspicari liceat ex Tzetzae apud Bernhard. ad schol. Dionys. Perieg. p. 1010 uerbis σιλλογράφος νῦν ὁ Ξενοφάνης ἐστὶ καὶ ὁ Τίμων καὶ ἕτεροι. Ornatos autem esse eius sillos egregiis ἀμφιβολιῶν luminibus ne uaniloque finxisse puter, accuratius mihi explicandus est iocus satis obscoenus, quem in eius fg. 1 uersibus ab interpretibus non minus uexatis quam male intellectis detexisse mihi uideor. Namque primum in secundo uersu ex Il. *B*. 783 detorto uocabulo τυφωέος non Typho significatur sed nouata a Cratete potestate homo superbiens, itemque μεγάροις scribendum est, non Μεγάροις, cum nihili sit quod opinabatur Orelli ad Hesych. Miles. p. 52 Megara Attica confusa esse a Cratete cum Megaris Siculis ad Aetnam sitis, qua ratione uolebat interpretari εὐνὰς Τυφωέος, quamquam ambigue intellegenda sunt etiam Megara Attica, ubi Stilpo domicilium habuit. Tum uersus proximi sat

probam et perfectam obiter inspicienti praebere uidentur sententiam hance: Stilpo eiusque amici de uirtute re ipsa neglecta uerbo tenus disputant (cf. Luciani *κατατρίβειν τὸ τῆς ἀρετῆς ὄνομα*; *διώκειν* autem est exponere). Atque inest profecto haec quoque uerbis sententia, summam enim operam nauauit rebus ethicis Stilpo, cf. Zeller hist. phil. Gr. ed. alt. II, p. 195. Sed latent facetiae apprime festiuae, quas ut inuestiges iam cogeris uerbis *χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα ἐν μεγάροις ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς*, quae quid sibi uelint prorsus non dispicitur. Verum ut statim proferam quod censeo, uerbis *τὴν ἀρετὴν παρὰ γράμμα* dicitur uocem *ἀρετήν* detorquendam esse ex ratione *παραγράμματος* notissimi ammominationis generis; qua ratione si *ἀρετήν* uerteris, euadet *ἑτάρην* scortum. Iam uides quam proprie sint intellegenda uerba *διώκοντες κατέτριβον*, uides quae uis insit duobus primis uersibus, uides quam ambigue omnia sint pronuntiata. Probatur denique haec sententia eo quod Stilponem mulierosum fuisse constat (cf. Cic. de fato 5, 10) inprimisque fauisse meretrici cuidam, cui nomen *Νικαρέτη* erat (cf. L. D. II, 114; Athen. XIII, 596 e), quo quanto facetior reddatur iocus elucet.

His tribus reliquiis adieci non nisi cunctabundus quartam, quae quamuis possit ex eodem atque ceterae tres deprompta haberi carmine potest tamen eodem iure ex alio; sed singulare carmen hos uersus effecisse uix crediderim. Quodsi in tantis tenebris suspicari licet, Cratetis sillos ita comparatos fuisse coniciam, ut ille postquam ceteras omnes philosophorum sectas descripsisset transgressus esset ad laudandam cynicam.

Accedit alter Bion Borysthenita quem iam supra germanum fuisse cynicum dixi.

Primum repeto quod antea explanaui, eum omnino admodum festiuum et acerbum (cf. L. D. IV, 52; Horat. ep. II, 2, 58) inprimis philosophos irrisisse (cf. L. D. IV, 17; Euseb. praep. euang. XIV, p. 731 b ubi narratur Arcesilaus metu Bionis impeditus nullum dogma effatus esse), ut Xenocratem (cf. L. D. IV, 10) musicos geometrasque (cf. L. D. IV, 53) astronomos (Stob. flor. LXXX, 3), tum fuisse *εὐφυῆ παρῳδῆσαι*, ut disertis

uerbis ait L. D. IV, 52, cuius rei documento sint quibus et Theognidem et Euripidem sit cauillatus. Atque idcirco dictus est ab Eratosthene (cf. L. D. IV, 52; Strabo I, p. 15) primus ἀνθινά philosophiam induisse διὰ τὸ παντὶ εἴδει τοῦ λόγου κεχρῆσθαι, quae uerba rectissime interpretatus est Welcker praefat. Theogn. p. LXXXVII, qui ἀνθινός esse uocem proprie de uersicolore ueste satyrica dictam docuit, ea referens ad inspersos parodiarum lusus floresque omnis generis, itemque cum eodem p. XCI sq. explicanda sunt Eratosthenis uerba οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων ex Od. σ, 74 οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων deflexa (cf. Strabo I, p. 15). Quod autem hoc a Bione primo factum dicitur, inde potest colligi eum facetiarum et copia et uarietate longe ceteros cynicos superasse.

Sed iam mihi demonstrandum erit uersibus hexametris ex Homero detortis aculeatoque lepore distinctis ab eo philosophos physicos astronomos mathematicos omnes denique δογματικούς petitos esse. Primum philosophos physicos laceratos esse ab eo libro facetiis splendente docent uerba Metrodori de sensionibus uol. Heracl. VI, p. 29 col. XV (illorum qui physicos aggressi sunt impetibus) ο[ὐ]δὲ[ν] πιθανὸν [ἔ]νεστιν [ὡ]ς (quomodo rectius quam cum Scotto τοῖς explendum est) [τ]ᾶν Βίωνος τοῦ κατὰ Θ[ε]ό[φ]ραστον (ut ait Theophrastus) πρ[ώτ]ου φιλοσοφίαν ἀνθινοῖς κοσμήσαντος ... διὰ τὴν τῆς φύσεως τῶν ὄντων ἀγνωσίαν. Ita enim litterarum hiatus complendos esse uerba ipsa manifeste demonstrant, quamuis Scottus luculenter sibi uideatur restituisse τοῦ κατὰ Θεόφραστον ποητοῦ etc., quae explicat uersibus Graecis id Theophrasto praestitisse Bionem quod Latinis Lucretius praestiterit Epicuro. In eodem autem libro existimo Homerum ipsum ceterosque poetas castigatos esse, cf. Acron ad Horat. ep. II, 2, 58 „Bion qui sophistes cognominatus est in libro quem edidit mordacissimis salibus ea quae apud poetas sunt ita lacerauit ut ne Homero quidem parceret“ (cf. schol. Cruq. ad l. s.). Versibus ad hoc consilium perpetrandum Bionem usum esse, id quod aperte dicit schol. qui fertur Cruq. ad l. s. „Bion .... mordacissimis uersibus est usus quibus ita omnes lacerauit ut ne Homero quidem parceret“, et eis hexametris ex Homero πεπαρῳδημένοις,

probatur et tota ratiocinatione quam possis ex hominis natura et more quodam constanti cynicorum *σπουδογελοίων* recte instituere, et eo quod Bion fuit ex Borysthenitis, qui *σχεδὸν πάντες περὶ τὸν ποιητὴν* (Homerum) *ἐσπουδάκασιν* et *τὴν Ἰλιάδα ὀλίγου πάντες ἴσασιν ἀπὸ στόματος* (ut ait Dio Chrysostom. or. 30 p. 504 ed. Emper.), quorum poetae *μόνον Ὅμηρον μνημονεύουσιν ἐν τοῖς ποιήμασιν* (cf. Dio l. s.), ipsumque Bionem Homerica ceteroquin lubenter usurpasse scimus (cf. Plutarch. moral. p. 82 e, p. 7 d; Cic. Tuscul. III, 26; Seneca de tranq. anim. 8, 2; Stob. floril. IV, 54), probatur eo quoque quod Horatius ep. II, 2, 58 carminum lyricorum et iambicorum (i. e. epodorum) antea facta mentione iam commemorat tertiam qua non minus clarus fuit satiricam poesin his uerbis: „Bioneis sermonibus et sale nigro" (cf. v. Heusde Lucil. p. 298), quae uerba possunt quidem paululum contortius ita intellegi ut uoluit Baiterus in ed. mai. alt., clarius tamen et simplicius ea quam antea tetigi ratione explicantur et sunt percepta a schol. Cruq. Sed rem ita sese habuisse docemur manifeste duobus qui a L. D. IV, 52 seruati sunt uersibus, quibus irridet Archytam Mytilenaeum musicum (fg. I), quibus uersibus ex Homero *πεπαρῳδημένοις* quae insit insignis *ἀμφιβολία* detexit Ross. comm. Laert. p. 82; *τῆς ὑπάτης ἔριδος ἐμπειρότατος* nimirum dicitur ille et peritissimus summarum rixarum et certaminis de summa chorda (i. e. *ἡ ὑπάτη* siue *ἡ ὑπάτη χορδή* quade multum a musicis disputatum est) omnium maxime gnarus.

Veri igitur certe simillimum est sillos contra physicos mathematicos musicos ceteros conscriptos esse a Bione; namque sunt quidem quae necessitatem rei prorsus persuadeant nulla, multa quae eximiam probabilitatem.

Hac ergo uersicolore ueste a cynicis *σπουδογελοίοις* induti silli traditi sunt Timoni Phliasio sceptico, a quo in summum quomodo euecti sint fastigium supra accuratius describere conatus sum.

Num autem etiam post Timonem unquam silli scripti sint dubitari potest, cum nulla certa extent uestigia; adsunt tamen indicia certissima, post Timonem excultum esse genus poeseos

sillis admodum simile a duobus cynicis; Menippum dico et Meleagrum.

Menippus enim ὁ σπουδογέλοιος ut dicit Strabo XVI, p. 760, qui circa ol. 170 uixit aequalis quippe Meleagri (cf. L. D. VI, 100) in aetatem ultimorum Seleucorum a Iacobsio proleg. anthol. Gr. tom. VI, p. XL cum aliis de causis tum ex testimonio scholii prooem. coron. Meleagri Vatic. cod. p. 82 relati, Menippus, inquam, quem acerbissime philosophos mortuos irridere uidemus in Luciani scriptis, uiuos irrisisse audimus ex Diogene ap. Lucian. mort. dial. 1, 1 τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελῶντα, conscripsit contra philosophos potissimum satiras pedestres sed eas uariatas immixtis diuersi generis uersibus parodiis facetiis. Quod ita sese habere etsi cetera omnia deessent testimonia iam satis demonstraretur eo, quod Varro Menippeus uocatus est ap. Athen. IV, p. 160 c, Arnob. adu. gent. VI, 23 ob saturas Menippeas ab ipso appellatas (Gell. II, 18; Macrob. saturn. I, 11), quas se conscripsisse ille ait ap. Cic. acad. post. 2, 8 Menippum non aemulatum quidem sed imitatum. Quae uerba recte non poterunt aliter explicari quam ita ut censeas Varronem Menippea carmina exemplar sibi proposuisse, quod arte in rebus omnibus grauioribus, in externa specie, in tota irridendi ratione ceteris sequeretur. Varronis autem saturae compositae sunt pedestri sermone, cui immiscentur uaria ab ipso factorum uersuum genera (id quod post Buechelerum *bemerkungen z. d. Varron. satiren* in nouo mus. Rhen. XIV, p. 421 sq. neminem fore spero qui neget); solet Varro dein orationem suam distinguere aliorum cum scriptorum pedestrium tum poetarum flosculis (cf. Vahlen coniectan. Varron. p. 12; Buecheler p. 423—426); irridet philosophos (cf. Ribbeck in nouo mus. Rhen. XIV, p. 126 sq. de Μενίππου ταφῇ disputans) in satura λογομαχίᾳ (49) potissimum et in armorum iudicio (9) et περὶ αἱρέσεων (67); denique eius saturae in epicam speciem sunt redactae (cf. Buecheler l. s. p. 421 sq.). Haec igitur omnia ad Menippea scripta potuisse certo transferri dicerem etsi ceteris omnibus destituti essemus testimoniis, sed adsunt omnium accuratissima.

Probus in Vergil. ecl. VI, 31, p. 14 Keil. cui cur fidem de-

neges prorsus non est haec profert: „is quoque (Menippus) omnigeno carmine satiras suas expolinerat“ i. e. saturas suas pedestri sermone conscriptas distinxerat carminibus uarii generis. Idem fragmenta docent, quorum ex 'Αρκεσιλάῳ ap. Athen. XIV, p. 664 quod est πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν etc. pedestri oratione est conscriptum, alterum apud Athen. I, p. 32 „ἁλμοπότις Μύνδος“ poeticam prae se fert speciem. Tum scripta eius uersibus Homericis et Euripideis scatuisse uerissime iam Casaubonus satir. poes. p. 206 et Welcker praef. Theogn. p. XCIII, n. 141 collegerunt ex ea ratione, qua Lucianus eum in necyomantia et Icaromenippo loquentem facit. Quo enim et Ley de uita scriptisque Menippi cynici p. 8 et Oehler praef. Varron. sat. p. 34 sq. hanc sententiam luculenter sibi refutare uisi sunt, quod Menippus ipse in necyomantia quasi excusat frequentem Homericorum et Euripideorum uersuum usum, quippe cum sibi paulo ante cum illis poetis uersato αὐτόματα τὰ μέτρα ἐπὶ τὸ στόμα ueniant, eo argumento tantum abest ut refutetur illa sententia ut magis corroboretur. Namque Menippo, qui sese ad philosophos contulisset a quibus doceretur ὁδὸν ἁπλῆν καὶ βέβαιον τοῦ βίου (6), hac spe prorsus frustrato, cum ei opiniones plane contrarias proferrent et demonstrarent, in mentem uenit ut Babylonem profectus magum adiret qui sibi compararet copiam in Orcum descendendi ibique ex Tiresia sapienti uate quaerendi τίς ἐστιν ὁ ἄριστος βίος καὶ ὃν ἄν τις ἕλοιτο εὖ φρονῶν. Qua ratione postquam re uera in Orcum peruenit ibi Tiresiam percontatus ποῖόν τινα ἡγεῖται τὸν ἄριστον βίον responsum tulit hoc: ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν καὶ καταπτύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν καὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς (21). Apparet igitur Menippum fingi Tiresiae demum sapienti consilio talem redditum esse hominem qualem se in uiuendo et scribendo praebuerit. Immo ueri non est dissimile hoc libro Lucianum ipsius Menippi νέκυιαν imitatum esse. Porro in scriptis quae πολλοῦ

καταγέλωτος γέμει (L. D. VI, 99) perstrinxit stoicos (cf. Athen. XIV, p. 629, ubi commemoratur saltatio κόσμου ἐκπύρωσις ficta ad pungendum stoicorum de mundi exustione dogma) Epicureos physicos grammaticos mathematicos (L. D. VI, 101 πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας). Deinde in fabulae formam redactum est Menippei Ἀρκεσιλάου fragmentum apud Athen. XIV, p. 661 πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰςφέρειν Λάκαινά τις καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων. Et δράματα uocantur eius saturae a Suida et Eudoc. s. u. Μένιππος κυνικός (id enim correxit Meineke in addend. et corrig. ad comic. Gr. I, p. 494 in uol. V, p. 12 pro κωμικός uerbo, ueritus ut satis recte in hist. crit. l. s. Μένιππος in Ἕρμιππος mutauerit) τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι κέρκωπες (addit. Eudoc. καὶ ὄφεις καὶ ἄλλα, modo recte emendauerit Meineke. Saturarum etiam fuerunt eius ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προςώπου (cf. L. D. VI, 101) ut Varronis quoque saturae nonnullae uidentur epistolarum forma conscriptae fuisse (cf. Buecheler l. s. p. 422); tum συμπόσιον ap. Athen. XIV, p. 629 ad quod fortasse referendum est cum Oehlero p. 29 n. 18 Athen. I, p. 59; id autem quod dubitanter huic assignauit Meineke exercitt. in Athen. spec. I, p. 45 n. ap. Stephan. Byz. s. u. χιτώνη malim cum eodem sublatum putare insigni Salmasii coniectura; denique διαθῆκαι et νέκυια (L. D. VI, 101) ad quam miro errore pertinere opinatus est Oehler p. 29 Suidam s. u. φαιός, quamquam fuerunt qui haec scripta Menippo abiudicarent quippe a Zopyro et Dionysio supposita (L. D. VI, 100). Sed Διογένους πρᾶσις ap. L. D. VI, 29 eius sit an Hermippi cuius nomen praebent codd. Ambrosii atque Sambuci ualde ambigendum est (cf. Loczynski Hermipp. p. 40 sq.).

Prorsus autem similiter sese habuisse dicendum est scripta Meleagri Gadarensis (cf. L. D. VI, 99 τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ (Menippi) πολλοῦ καταγέλωτος γέμει κατ' ἴσον (ita cum Hekkero in Philol. V, p. 433 id quod uulgatur καί τι ἴσον mutan-

dum censeo) *τοῦ Μελεάγρου*, cf. epigr. anth. Gr. VII, 418 *Μοῦσαι δ' ἐν ὀλίγοις με τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον παῖδα Μενιππείαις ἠγλάϊσαν χάρισιν*, Meleager ibid. 417 *Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας χάρισιν*. Laudanturque eius saturae *συμπόσιον* ab Athen. XI, p. 502, *λεκίθου καὶ φακῆς σύγκρισις* ab Athen. IV, p. 157, *χάριτες* ab Athen. l. s. et Eustath. in Iliad. p. 868, 15, quem titulum perperam ut ipse docet Athen. l. s. Iacobs proleg. ad anth. Gr. tom. VI, p. XXVIII toti Meleagri libro inscriptum esse coniecit.

Fati autem inuidia factum est ut Menippi Meleagrique scriptorum *σπουδογελοίων* nihil fere sit seruatum ita, ut neque cum eis possimus Romanam Varronis saturam comparare, orbati unica illa copia, saturam quam totam suam praedicant Latini cum Graecorum satirica poesi conferendi, neque queamus intellegere, quantopere Graecorum humanitas qua hanc quoque poesin quae suapte natura ipsis minus placuerit leporibus salibusque adornauerint et mitigauerint differat a Romanorum seueritate qua fauerint huic potissimum poesi. Sed item non est perspicere, num Menippus et Meleager praeter illas saturas sillis simillimas etiam germanos iustosque sillos conscripserint. Quod quamuis de Menippo possis suspicari idcirco quod is quoque ut Timon *νέκυιαν* scripserit atque Homericos saepissime uersus usurpauerit, res tamen est admodum lubrica et ambigua et in tanta testimoniorum penuria hariolari tantum licet, itaque iam obmutescendum est.

I. Index uocabulorum,

quae apud sillographos tantum reperiuntur et pleraque ab eis nouata sunt[1]).

A. uocabula Timonea.

αἰνικτής fg. XXVIIII, u. 2.
ἀκριβολόγος fg. L, u. 2.
ἀκύλιστος fg. XXX. XXXXVIIII, u. 2.
ἀλιγύγλωσσος fg. XXXXVIIII, u. 2.
* *ἀμενθήριστος* fg. XXXXVI, u. 3.
ἀμφίνοος fg. II, u. 2.
ἀμφοτερόβλεπτος fg. XXXXVI, u. 2.
ἀνάθρησις fg. LVIII, u. 1.
ἀνάλιστος fg. XXXXII.
ἀνασκοπή fg. LVIII, u. 1.
ἀπλήστοινος fg. XXXXIIII, u. 3.
* *ἀπερισσοτρύφητος* fg. XXXXV, u. 3.
ἀρρυθμοπότης fg. XXXXIIII, u. 2.
* *ἀρύσαινα* fg. XXXXIIII, u. 3.
ἀστρονόμημα (?) fg. VI.
αὐτολαλητής fg. LXIII, u. 1.
* *αὐτόσχολος* fg. LXIII, u. 1.
ἀφροσιβόμβαξ fg. XXVIII.
γραμμαδιδασκαλίδης fg. LV, u. 2.
δειπνομανής fg. XXX.
εἰκαιοσύνη fg. XXXXIII.
εἰρωνευτής fg. L, u. 3.
ἐννομολέσχης fg. L, u. 1.
ἐπιλήπτωρ fg. V, u. 2.
ἐριδάντης fg. XXXXI, u. 2.
ἐρισμός fg. XXXXI, u. 3.
ἡδονοπλήξ fg. VIIII, u. 4.
κοκκυστής fg. XXVIIII, u. 1.
λαβάργυρος fg. XI.
λακεδών fg. LVII.
λαξόος (populi perpolitor) fg. L, u. 1.
* *λεσχήν* fg. II, u. 2.
λεσχομάχη fg. XXXIII, u. 2.
ληκητής (quod uerbum addas lexicis) fg. XXXXVIII, u. 2.
λιχνόγραυς fg. VIII, u. 1.
μωλυτής fg. XXIIII, u. 2.
νομοθήκη fg. XXXII, u. 4.
νῶσις fg. IIII, u. 2.
Ὁμηραπάτη fg. XXXX, u. 1.
ὀχλοαρεστεῖν (?) fg. XVIIII, u. 3.
πλατυρημοσύνη fg. XXXXII.
ῥητορόμικτος fg. L, u. 3.
σεμνηγορίη fg. III, u. 2.
σκεπτοσύνη fg. XXXXVI, u. 4.
συσφηκόω fg. XXXXVII, u. 3.
τερατοῦμαι fg. XVIIII, u. 2.
τιμαιογραφεῖν fg. XXVI, u. 3.
ὑπαττικός fg. L, u. 3.
ὑπάτυφος fg. XXXX, u. 1.
ὕστατος (superlatiuus uocis *ὗς*) fg. LV, u. 1.
χαρακίτης fg. LX, u. 2.
ὡρολογητής fg. XI.

[1]) Eas uoces quae emendatione restitutae sunt significaui asterisco addito.

B. uocabula Cratetea.

*περίρρυπος fg. IIII, u. 2. τυφωεύς fg. I, u. 2.
συγξαίνω fg. III, u. 2.

C. uocabula Bionea.

ὀλβιότυφος fg. I, u. 1. ψαλληγενής fg. I, u. 1.

II. Tabula argumenti disputationis.

A. de *σίλλος* uocis radice et potestate p. 1—2.
B. de Graecorum sillorum poeseos explicationibus p. 2.
C. de sillographis p. 3—45.
- I. de Timone Phliasio p. 3—28.
  - a. de Timonis uita studiis ceterisque scriptis p. 3—12.
  - b. de Timonis sillis p. 12—28.
- II. de Xenophane Colophonio p. 29—33.
- III. de cynicis sillographis p. 33—45.
  - a. de cynicis *σπουδογελοίοις* p. 33—37.
  - b. de Cratete p. 38—39.
  - c. de Bione p. 39—41.
  - d. de Menippo p. 42—44.
  - e. de Meleagro p. 44—45.

SILLOGRAPHORVM RELIQVIAE

Asterisco adiecto dubias reliquias significaui; numeros ordinis ex quo Paul Timonis sillorum fragmenta, Karsten Xenophanis reliquias, Bergk Crateteas disposuit uncis inclusos addidi. In afferendis siglis Athenaei Dindorfium, Eusebii Theodoreti Etymologici magni Gaisfordium, Sexti Empirici Bekkerum, Plutarchi Sintenisium, Suidae Bernhardyium, scholiorum Aristophanis Duebnerum secutus sum; in Laertio Diogene usurpaui has notas:

A = cod. Arundelianus.
C = cod. Cantabrigiensis.
F = cod. Laurentianus plut. LXVIIII, 13.
G = „ „ plut. eiusd., 28.
H = „ „ plut. eiusd., 35.
M = cod. Monacensis in quo insunt lib. I, II, III, IV, 1—54, V, 1—60, X, 1—61.
R = cod. Parisiensis regius Menagii.
R R = codices Par. regii Menagii.
a = edit. Aldobrand. Rom. 1594.
f = edit. Froben. Basil. 1533.
s = edit. Stephan. Paris. 1570.
α = interpretat. latin. Aldobrand. Rom. 1594.

TIMONIS SILLORVM RELIQVIAE

LIBRI PRIMI

I (1).

ἕσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί.

II (14).

οἷον Δημόκριτόν τε περίφρονα ποιμένα μύθων
ἀμφίνοον λεσχῆνα μετὰ πρώτοισιν ἀνέγνων.

III (7).

Πυθαγόρην τε γόητας ἀποκλίνοντ' ἐπὶ δόξας
θήρῃ ἔπ' ἀνθρώπων, σεμνηγορίης ὀαριστήν.

HOMERI *πεπαρῳδημένοι* uersus

in I: *B*, 484. *ἕσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.*
in II, u. 1: *Δ*, 263 etc. *ποιμένα λαῶν.*
u. 2: *Δ*, 341. *μετὰ πρώτοισιν ἐόντας.*

ADNOTATIO CRITICA

ad I. L. D. IX. 112. *ἀρχὴ δὲ αὐτῷ* (primo Timonis sillorum libro) *ἥδε· „ἕσπετε — σοφισταί".* — *ἕσπετε* F' de *ἕσπετε* cf. Lobeck ad Buttm. *ausf. Sprachl.* II, p. 174.

ad II. L. D. IX. 40. *ὅνγε* (Democritum) *καὶ Τίμων τοῦτον ἐπαινέσας τὸν τρόπον ἔχει· „οἷον — ἀνέγνων".* — *uers.* 2. *λεσχῆνα* corr. Meineke exerc. in Athen. spec. I, p. 6. pro *λέσχην* α̃ *λεσχήν* est ex eis uocabulis de quibus disseruit Lobeck paralip. p. 191 sq. *ἀμφινοῶν λεσχῶν*, α̃ coni. Mullach Democrit. p. 94 α̃ simul ad *μύθους* et ad *λέσχας* referens.

ad III. Plutarch. Num. c. 8. *τερατώδεις μηχανὰς αὐτοῦ* (Pythagorae) *καὶ πράξεις ἀναγγέλλουσιν, ἐφ' αἷς καὶ Τίμων ὁ Φλιάσιος ἔγραψε· „Πυθαγόρην — ὀαριστήν".* L. D. VIII. 36. *τὴν σεμνοπρέπειαν*

IIII (10).

Παρμενίδου τε βίην μεγαλόφρονα τὴν πολύδοξον,
ὅς ῥ' ἐπὶ φαντασίης ἀπάτας ἀνενείκατο νώσεις.

V (11).

Ἀμφοτερογλώσσου τε μέγα σθένος οὐκ ἀλαπαδνὸν
Ζήνωνος πάντων ἐπιλήπτορος ἠδὲ Μέλισσον
πολλῶν φαντασμῶν ἐπάνω, παύρων γε μὲν ἥσσω.

in IIII, u. 1: λ. 601 etc. *βίην Ἡρακλείην.*
in V, u. 1: Ψ. 827. *μέγα σθένος Ἠετίωνος.*
E. 783 etc. *σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.*

τοῦ Πυθαγόρου καὶ Τίμων ἐν τοῖς σίλλοις δάκνων αὐτὸν ὅμως οὐ παρέλιπεν εἰπὼν οὕτω· „Πυθαγόρην — ὀαριστήν“. — *uers.* 1. πυθαγόρω (supra ω man. sec. superscr. ην) H πυθαγόραν G γόητας Plut. codd. Sintenisii γόητα Plut. i a et uulgo in Laertio: γοητείασ ἀποκλειτὸν. ἐπίδοξον F γοητείας ἀποκλεινὸν ἐπίδοξον a f *ex magia inclytum, gloriosum α* γοητείασ ἄπο κλεινὸν ἐπίδοξον (supra ον man. sec. ασ superscr.), in mg. ἀπόκλινον H γόητασ ἀποκλίναντὲ ἐπὶ δόξησ G γόητας ἀποκλίναντ' ἐπιδόξην s γόητος ἀποκλίναντ' ἐπὶ δόξην siue ἐπὶ δόξας coni. Is. Casaub. γόητος ἀποκλίναντ' ἐπὶ δόξαν ad oram libri Scaligeriani adnotatum probat Menagius. — *uers.* 2. ὁ ἀριςήν F.

ad IIII. L. D. IX. 22 sq. κριτήριον (Parmenides) τὸν λόγον εἶπε· τάς τε αἰσθήσεις μὴ ἀκριβεῖς ὑπάρχειν. . . . . διὸ καὶ περὶ αὐτοῦ φησιν ὁ Τίμων· „Παρμενίδου — νώσεις“. — *uers.* 2. ὥς ῥ' F φαντασίης ἀπάτας pro φαντασίας ἀπάτης coni. Meineke, qui et hanc et alias coniecturas insigni beneuolentia mecum communicauit ἀνενῆκατο νωσεῖς F ἀνενήκατον ὥσεις G ἀνενήκατονώσεισ H ἀνενίκατο ὥσεις a f *attulit impulsiones α* ἀνενείκατ' ὀνόσσεις coni. Th. Roeper in diar. antiqu. X. p. 450.

ad V. L. D. IX. 25. περὶ τούτου (Zenonis Eleatae) καὶ Μελίσσου Τίμων φησὶ ταῦτα· „ἀμφοτερογλώσσου — ἥσσω“. Plutarch. Pericl. c. 4. Ζήνωνος τοῦ Ἐλεάτου πραγματευομένου περὶ φύσιν, ὡς Παρμενίδης, ἐλεγκτικὴν δέ τινα δι' ἀντιλογίας κατακλείουσαν εἰς ἀπορίαν ἐξασκήσαντος ἕξιν, ὥσπερ καὶ Τίμων ὁ Φλιάσιος εἴρηκε διὰ τούτων· „ἀμφοτερογλώσσου — ἐπιλήπτορος“. Procl. in Platon. Parmenid. tom. IV, p. 23 Cousin. καὶ τιθέντα καὶ ἀναιροῦντα τὰ μαχόμενα (Zenonem Eleatam) καὶ οὐχ ὡς ἐκεῖνος (Parmenides) τιθέντα μόνον· δι' ὧν τὸν πλοῦτον τῶν ἐπιχειρήσεων πολλῷ ποικιλώτερον δεῖξαι τοῦ παρ' ἐκείνῳ τοὺς ἄλλους οὕτως ἐκπλήξαντα, ὥστε καὶ τὸν σιλλογράφον „ἀμφοτερόγλωσσον“ αὐτὸν προςειπεῖν καὶ τὴν δύναμιν ἀγασθέντα τοῦ ἀνδρὸς „μέγα

VI (6).

οἷον ἔπειτα Θάλητα σοφῶν σοφὸν ἀστρονόμημα.

VII (23).

τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατίστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
ἡδυεπής, τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ' Ἑκαδήμου
δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἵᾶσι.

in VII, u. 1: *B*, 567. συμπάντων δ' ἡγεῖτο.
u. 1—2: *A*. 248. ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής.
u. 1—3: *Γ*, 150—152. . . . . ἀλλ' ἀγορηταὶ
ἐσθλοὶ τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην
δενδρέῳ (δένδρει Zenodot.) ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσιν.

σθένος" φάναι καὶ „οὐκ ἀλαπαδνὸν Ζήνωνος". Procl. ibid. p. 88. ὁ σιλλογράφος ἀμφοτερόγλωσσον αὐτὸν (Zenonem) προσεῖπεν ὡς ἐλεγκτικὸν ἅμα καὶ ὑφηγηματικόν. — *uers.* 1. κοὐκ Plut. C ἀλαπαδνὸς Plut. A S T V x ἀπατηλὸν Plut. uulg. — *uers.* 2. in Laertio: πλάτων ἐπιλήπτορος F πλατωνεπιλήπτορος f Πλατωνεπιλήπτορος a s *Platonem concidentis α* πελατῶν ἐπιλήπτορος coni. Roeper in diar. antiqu. X. p. 450 coll. L. D. IX. 27 Μέλισσον coni. Meineke exerc. in Athen. spec. I. p. 7 pro Μελίσσου. — *uers.* 3. δὲ μὲν F ἧσσω B inferiorem *α* εἴσω cett. Hunc uersum cum Meinekio l. s. corruptum puto; neque enim recte contendit Roeper l. s. ἐπάνω uoci posse adiectiui potestatem attribui.

ad VI. L. D. I, 34. οἶδε δ' αὐτὸν (Thalem) ἀστρονομούμενον καὶ Τίμων καὶ ἐν τοῖς σίλλοις ἐπαινεῖ αὐτὸν λέγων· „οἷον — ἀστρονόμημα". — οἷον θ' ἔπειτα A C οἷον θ' ἑπτὰ codd. Menag. a s *qualemque septem α* θάλλητα F σοφὸν. Ἀστρονομήματα δὲ κτέ. a *sapientem. De astronomia uero etc. α* de dictione σοφῶν σοφόν cf. M. Haupt ind. lect. aestiu. Berol. 1859 p. 9 sq. ἀστρονόμημα quod etiam codd. Menagii exhibent seruaui collatis λάλημα τρίμμα aliis ἀστρονομητήν coni. Meineke ἀστρονομῆα coni. Is. Casaubon. et Falconer. ad Strabon. I. p. 113 ἀστρονομοῦντα coni. Langheinr. III. p. 7.

ad VII. L. D. III, 7. ὁ Τίμων εἰς τὸν Πλάτωνα λέγων φησί· „τῶν — ἵᾶσι". Hesych. Miles. p. 11. Orell. Τίμων κωμῳδῶν αὐτὸν (Platonem) ἐν σίλλοις φησί· „τῶν — ἵᾶσι". — *uers.* 1. δ' om. Hesych. πλατίστατος coni. Roeper in philolog. I. p. 656 collatis Nicandreis superlatiuis κυδίστατος et πρεσβίστατος πλατύστακος F πλατίστακος A C M Laurent. 85. 9 et 59, 1 in uita Platonis a Cobeto inspecti πλατύσπακος Vindob. 106 πλατύστατος a f s πλατίστακτος Hesych. — *uers.* 2. τέτιξιν M τέττιξ Hesych. οἵ τ' Hesych. Ἀκαδήμου A C. — *uers.* 3. δένδρα Vindob. 106 f δένδρῳ Hesych. δενδρέῳ coni. Menag. ἵᾶσι coni. H. Ste-

VIII (35).

καὶ φοίνισσαν ἴδον λιχνόγραυν σκιερῷ ἐνὶ τύφῳ
πάντων ἱμείρουσαν· ὁ δ' ἔρρει γύργαθος αὐτῆς
μικρὸς ἐών, νοῦν δ' εἶχεν ἐλάσσονα κινδαψοῖο.

VIIII (15).

ἐν δὲ τὸ θαρσαλέον τε καὶ ἐμμανὲς ὅππῃ ὀρούσαι
φαίνετ' Ἀναξάρχου κύνεον μένος· ὅς ῥα καὶ εἰδώς,
ὡς φάσαν, ἄθλιος ἔσκε, φύσις δέ μιν ἔμπαλιν ἦγεν
ἡδονοπλὴξ, ἣν πλεῖστοι ὑποτρείουσι σοφιστῶν.

X (18).

Πρωταγόρης τ' ἐπίμικτος ἐριζέμεναι εὖ εἰδώς.

in X: O, 679 etc. κελητίζειν εὖ εἰδώς.

---

phan. in parod. p. 128, poes. philos. p. 66 ἴᾶσι Vindob. 106 a f ἔασι M ἱεῖσι Fs ἐφιεῖσι Hesych.

ad VIII. L. D. VII, 15. ἦν καὶ ζητητικὸς (Zenon) καὶ περὶ πάντων ἀκριβολογούμενος. ὅθεν καὶ ὁ Τίμων ἐν τοῖς σίλλοις φησὶν οὕτω· „καὶ — κινδαψοῖο“. Suid. s. u. σκινδαψός, ὄργανον μουσικόν. περὶ Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως· „ὁ δ' ἔρρει — σκινδαψοῖο“· σκινδαψὸς, ἀφάνα. — uers. 1. εἶδον F ὑπὸ τύφῳ coni. Meineke exerc. in Athen. I. p. 6. — uers. 2. πάντων δὲ ἱμείρουσαν F πύργαθος Suid. V αὐτῆς etiam Laert. H αὐτοῦ Suid. ὥς τις coni. Meibom αὕτως coni. Debraeus ad Aristoph. Plut. u. 314 Ambrosius uertit: *fluebat autem eius sensim semen*. — uers. 3. ἰὼν Laert. H a f s Suid. *iens* Laert. α κινδαψοῖο scripsi cum Lobeckio patholog. p. 126 κινδαψίου (supra ί superscr. οῖ) Laert. F μίνδαψοιο (supra μ superscr. κ) Laert. H σκινδαψοῖο Laert. a f s *scindapso* Laert. α.

ad VIIII. Plutarch. d. uirt. moral. p. 116 c. ὡς Ἀνάξαρχον ἐσίλλαινε Τίμων· „ἐν — σοφιστῶν“. Plut. uit. pud. p. 529 a. „ἐν δὲ — μένος“. Plut. symp. p. 705 f. τὸν Ἀβδηρίτην Ἀνάξαρχον „ὅς ρα — σοφιστῶν“. — uers. 1. οὐδὲ Plut. p. 529 a θαρραλέον Plut. ibid. ἐμμενὲς Plut. ibid. ὀρούσαι corr. Meineke exerc. in Athen. I. p. 7 pro ὀροῦσαι. — uers. 2. ὅ ρα Plut. ibid. — uers. 3. τῇ πλεῖστοι Plut. p. 705 f.

ad X. L. D. IX. 52. οὗτος (Protagoras) πρῶτος μισθὸν εἰςεπράξατο ... καὶ λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο καὶ τὸ νῦν ἐπιπόλαιον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν. ἵνα καὶ Τίμων φησὶ περὶ αὐτοῦ· „Πρωταγόρης — εἰδώς“. — de ἐπίμικτος cf. p. 19 ἐπίτριπτος coni. Usener anal. Theophr. sent. contr. V.

XI (62).

λαβάργυρος ὡρολογητής.

XII (58).

παντοφυῆ φλέδονα.

XIII (57).

ἀγαθὸν σκῶψαι.

XIIII (3).

Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς Ἔρις κενεὸν λελακυῖα
Νείκης ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη καὶ ἔριθος·
ἥτ' ἀλαὴ περὶ πάντα κυλίνδεται, αὐτὰρ ἔπειτα
ἔς τε βροτοὺς στήριξε κάρη καὶ ἐς ἐλπίδα βάλλει.

in XIIII, u. 1: *E*, 518. Ἄρης τε βροτολοιγὸς Ἔρις τ' ἄματον μεμανῖα.
u. 1—4: *Δ*, 440—443. . . . . . καὶ Ἔρις ἄματον μεμανῖα
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε·
ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται. αὐτὰρ ἔπειτα
οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

---

ad XI. Athen. IX, 406 e. ἀλλ' ἔγωγε, φησὶν ὁ Δημόκριτος, οὐκ ὢν „λαβάργυρος ὡρολογητὴς" κατὰ τὸν Τίμωνος Πρόδικον (ut praeclare correxit Meineke exerc. in Athen. I. p. 31 pro πρόδειπνον, quod in περίδειπνον scil. Arcesilai mutauerunt Schweighaeuser. Langheinr. I. p. 27) λέξω τὰ περὶ τοῦ Ἡγήμονος. Eustath. p. 1349, 10 ὡρολογητὴν ὁ παρὰ τῷ Ἀθηναίῳ Τίμων λαβάργυρον ἔφη ὡς ἐπὶ μισθῷ ὡρολογοῦντα.

ad XII. L. D. VI. 18. ὁ Τίμων διὰ τὸ πλῆθος (eius librorum) ἐπιτιμῶν αὐτῷ (Antistheni) „παντοφυῆ φλέδονα" φησιν αὐτόν. — παντοφυῆ φαεδόνα F *fertiles nugas* α.

ad XIII. Plutarch. Dion. c. 17. Σπευσίππῳ . . . ., ᾧ μάλιστα τῶν Ἀθήνησι φίλων ἐχρῆτο καὶ συνδιητᾶτο (Dio), βουλομένου τοῦ Πλάτωνος ὁμιλίᾳ χάριν ἐχούσῃ καὶ παιδιᾶς ἐμμελοῦς κατὰ καιρὸν ἁπτομένῃ κεραννύμενον ἀφηδύνεσθαι τοῦ Δίωνος ἦθος. τοιοῦτος δέ τις ὁ Σπεύσιππος ἦν, ᾗ καὶ „σκῶψαι ἀγαθὸν" αὐτὸν ἐν τοῖς σίλλοις ὁ Τίμων προσηγόρευσεν.

ad XIIII. Clem. Alex. strom. V. p. 550 Sylb., p. 650 Pott. παγκάλως ὁ Φλιάσιος Τίμων γράφει· „φοιτᾷ — βάλλει". Euseb. praep. euang. XV. 62 p. 855 c Viger. τὴν πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίαν αὐτῶν (philosophorum) τάς τε μάχας καὶ τὰς διαστάσεις ἔτι πρὸς τοῖς εἰρημένοις (fg. XV) ὁ δηλωθεὶς ἀνὴρ (Timon)

XV 1.

τίς γὰρ τούσδ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Ἠχοῦς σύνδρομος ὄχλος· ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε λάλην. ὀλέκοντο δὲ πολλοί.

XVI 26.

τῇ γὰρ ἔχων Μενέδημον ὑπὸ στέρνοισι μόλυβδον
θεύσεται ἢ Πύρρωνα τὸ πᾶν κρέας ἢ Διόδωρον.

in XV, u. 1—3: *A*, 8—10. τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός· ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς
νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν, ὀλέκοντο δὲ λαοί.

τοῦτον ὑπογράφει τὸν τρόπον· „φοιτᾷ — βάλλει". — *uers.* 1. δ' ἡ coni. Arcerius ad Clem. κενὸν Euseb. praeter D F G λελαλυῖα Euseb. Vigeri margo λελαηκυῖα Euseb. C D E G. — *uers.* 2. νίκης Euseb. B I ἔριδος Clem. Sylb. ἔριτος Euseb. praeter D ἑταίρη coni. Iortinus. — *uers.* 3. ἄλλα ἢ Euseb. B D F G I ἀλλὰ Euseb. C E ἄλλη coni. Arcerius. — *uers.* 4. ἐς βρίθος Euseb. praeter C D F G I qui ἐς βροτούς.

ad XV. Clem. Alex. l. s. παγκάλως ὁ Φλιάσιος Τίμων γράφει· „φοιτᾷ — βάλλει" (fg. XIIII.); ἔπειτα ὀλίγον ὑποβὰς ἐπιφέρει· „τίς γὰρ — πολλοί" περὶ ψευδαποφάσκοντος λόγου καὶ κερατίνου διαλεληθότος τε αὖ καὶ κροκοδειλίνου, σωρίτου τε ἔτι καὶ ἐγκεκαλυμμένου, περί τε ἀμφιβολιῶν καὶ σοφισμάτων. Euseb. praep. euang. XV. 62 p. 855 b. ἄριστά μοι δοκεῖ . . . ἐν τοῖς σίλλοις καὶ ὁ Φλιάσιος Τίμων εἰρηκέναι τάδε· „τίς — πολλοί". Theodor. Gr. aff. cur. p. 72, 6 Sylb. αὐτοὺς (philosophos) ἡ κενὴ δόξα κατὰ τὸν Ὅμηρον (Τίμαιον B August. a et b. Pal. b Τιμαίου B in marg. Τίμωνα coni. Sylb.). — *uers.* 1. ὅλη Euseb. B D E ὅλλη Euseb. C F G ὅλη Euseb. I ξυνέστηκε Euseb. I. — *uers.* 2. σιωπῶσι Euseb. — *uers.* 3. κακὴν Clem.

ad XVI. L. D. IV. 33. ὁ Τίμων ἐπ' αὐτοῦ (Arcesilai) φησιν οὕτως· „τῇ — Διόδωρον". Euseb. praep. euang. XIV. 5 p. 729 d. Τίμων καὶ ὑπὸ Μενεδήμου τὸ ἐριστικόν φησι λαβόντα (Arcesilaum) ἐξαρτυθῆναι, εἴπερ γε δή φησι περὶ αὐτοῦ· „τῇ — Διόδωρον". — *uers.* 1. τῇ μὲν Euseb. τοιγὰρ coni. Meineke ad anthol. Gr. p. 192 Μενέδημον Laert. codd. Stephani μενέδημον Laert. F G H M a μενέδημος Laert. f s Μενεδήμου Euseb. στέρνησι Laert. G στερνησι (supra η litteram ο superscripto) Laert. M μόλιβδον Laert. G M Euseb. C F G μολυβρὸν coni. Meineke. — *uers.* 2. θήσεται ἢ Laert. etiam G H ψεύσεται coni. Th. Canter uar. lect. I, 9 θύσεται coni. Ross comm. Laert. p. 68

XVII (27).

νήξομαι εἰς Πύρρωνα καὶ εἰς σκολιὸν Διόδωρον.

XVIII (28).

παίγνια μὴ λύσῃς ἐπιπλήξεσιν ἐγκαταμιγνύς.

XVIIII (29).

ὥς εἰπὼν ὄχλοιο περίστασιν εἰςκατέδυνεν.
οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέρι σπίζαι τερατοῦντο
ἠλέματον δεικνύντες· ὁθούνεκεν ὀχλοαρεστεῖς
— οὐ μέγα πρῆγμα —, τάλας, τί πλατύνεαι ἠλίθιος ὥς;

in XVIIII, u. 1: *A*, 326 etc. *ὥς εἰπών.*

ἐς Πύρρωνα coni. Is. Casaub. *εἰς Πύρρωνα* coni. Huebner *ἦ'ς Πύρρωνα* coni. Meineke *πάγκρεας* Euseb. praeter C D I.

ad XVII. L. D. IV, 33. *ὁ Τίμων ἐπ' αὐτοῦ* (Arcesilai) *φησιν οὕτως·* „*τῇ — Διόδωρον*", (fg. XVI.) *καὶ διαλιπὼν αὐτὸν ποιεῖ λέγοντα·* „*νήξομαι — Διόδωρον*". — omittunt totum uersum C M R f *ἴξομαι* F *νίσομαι* coni. Meineke ad Theocrit. XXIV. 61, sed in addend. ad com. Gr. uol. V. p. 28 defendit *νήξομαι* simili *κολυμβᾶν* uocis usu *κολιὸν* s.

ad XVIII. L. D. IV. 33 sq. *ἦν* (Arcesilaus) *ἀξιωματικώτατος καὶ συνηγμένος καὶ ἐν τῇ λαλιᾷ διαστατικὸς τῶν ὀνομάτων, ἐπικόπτης* (sic F G H R R codd. Stephani f) *θ' ἱκανὸς* (sic F H M pr. m.) *καὶ παρρησιαστής· διὸ καὶ πάλιν ὁ Τίμων οὑτωσὶ περὶ αὐτοῦ·* „*παίγνια — ἐγκαταμιγνύς*". — *παίγνια μὴ λύσῃς* conieci collatis eis quae antecedunt uerbis et eis quae sequuntur *ὅθεν* coniunctione adnexis uituperationum exemplis *καὶ νέον μὴ λήσῃ σε* F *καὶ νέον μὴ λύσῃς* G *καὶ νέον μὴ λήσῃς* H *καὶ νέον μὴ λήσῃς* M R *καὶ νέον μὴ λύσῃς* f *καὶ νέον οὐ λήσῃς* s *καὶ νέον οὐ λήσεις* a *et iuuenem non latebis* α *καὶ νόον οὐ λήσῃς* coni. Is. Casaub.

ad XVIIII. L. D. IV. 42. *εἰς τὸ διαβαλλόμενον αὐτοῦ* (sic F f. scil. Arcesilai) *φίλοχλον καὶ Τίμων τά τ' ἄλλα φησὶν ἀτὰρ δὴ καὶ τοῦτον τὸν τρόπον·* „*ὥς — ὥς*". Hesych. Miles. p. 12. *Τίμων δὲ ὡς φίλοχλον* (Arcesilaum) *παίζει λέγων·* „*ὥς — ὥς*". — *uers.* 1. *εἰς κατέδυνεν* Hesych. — *uers.* 2. *πέρι σπίζαι* coni. H. Iunius et Salmas. ex. Plin. p. 141 e *περίσπιζα* F *περισπίζα* G s *περισπιζατεροῦντα* (*ατ* syllaba supra *ρο* man. sec. superscripta) H *περισπιζατερατοῦντο* M R Hesych. *περὶ σπίζα* a *περὶ σπιζεῦ* f *περὶ σπίζαι* coni. Menag. *πέριξ σπίζαι* coni. Is. Casaub. — *uers.* 3. *ἡ δὲ μάγῳ δεικνύντες* F *ἠλέματον δεικλύντες* G *εἰλύματον δεικνύντες* H *οὕνεκα* Hesych. *ὀχλοαρεστεῖς* scripsi *ὀχλοαρέσκεις* C *ὀχλοαρέσκος* G *ὀχλοάρεσκος* codd. Stephani et Menagii *ὀχλοα-*

XX (36).

ὄφρα πενεστάων σύναγεν νέφος, οἳ περὶ πάντων
πτωχότατοί τ' ἦσαν καὶ κουφότατοι βροτοὶ ἀστῶν.

XXI (37).

εἰς δὲ φακῆν ἔμβαλλε δυωδέκατον κοριάννου.

XXII (38).

καὶ Ζηνώνειόν γε φακῆν . . . .
. . . . ἕψειν ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν.

XXIII (40).

φῆ δέ τις αἰάζων οἷα βροτοὶ αἰάζουσιν·
οἴμοι ἐγὼ τί πάθω; τί νύ μοι σοφὸν ἔνθα γένηται;

in XXIII, u. 1: ε. 197. οἷα βροτοὶ ἄνδρες ἔδουσιν.
u. 2: ε. 465. ὤμοι ἐγὼ τί πάθω; τί νύ μοι μήκιστα γένηται;

ρέσκης AHMfs ὄχλῳ ἀρέσκεις Fa Hesych. — *uers.* 4. πλατύνεται FH πλατυνεαι (supra ι superscripto ualde magno ε) M.

ad XX. L. D. VII, 16. ἦσαν περὶ αὐτὸν (Zenonem) καὶ γυμνορρύπαροί τινες, ὥς φησι καὶ ὁ Τίμων· „ὄφρα — ἀστῶν". — *uers.* 1. σύναγε f. — *uers.* 2. βροτοὶ om. F κουφότατοι ἀξῶν ἄνδι F κουφότατοι ἀνθρώπων coni. Meineke.

ad XXI. Athen. IV. p. 158 a. Τίμων ὁ Φλιάσιος ἔφη· „καὶ — μεμάθηκεν" (fg. XXII), ὡς οὐκ ἄλλως δυναμένης ἑψηθῆναι φακῆς εἰ μὴ κατὰ τὴν Ζηνώνειον ὑφήγησιν, ὅς ἔφη· „εἰς — κοριάννου". — κορίαννον VL. — Ceterum hunc uersum ex Zenonis ipsius carmine aliquo depromptum putat Bergk lyr. Gr. ed. alt. p. 525 not.

ad XXII. Athen. IV. p. 158 a. στωικὸν δόγμα ἐστὶν, ὅτι τε πάντα εὖ ποιήσει ὁ σοφὸς καὶ φακῆν φρονίμως ἀρτύσει· διὸ καὶ Τίμων ὁ Φλιάσιος ἔφη· „καὶ — μεμάθηκεν", ὡς οὐκ ἄλλως δυναμένης ἑψηθῆναι φακῆς, εἰ μὴ κατὰ τὴν Ζηνώνειον ὑφήγησιν. — Versus ita disposui. — *uers.* 1. Ζηνώνιον ABCP τε BC φακὴν A. — *uers.* 2. ἕψειν corr. Dindorf pro ἑψεῖν καὶ Ζηνώνειόν γε φακῆν ὃς μὴ μεμάθηκεν || ἕψειν εὖ φρονίμως coni. Iacobs animadu. in Athen. p. 99 Ζηνώνειον uocem antecedenti uel sequenti uersui tribuit Casaub. καὶ ἑψεῖν || Ζήνωνός γε φακῆν ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν coni. Dacier oeuvres d'Horace tom. V. p. 157 Ζήνωνός τε φακῆν ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν || ἕψειν coni. Brunck anapaestos καὶ Ζήνωνός γε φακῆν ἑψεῖν ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν eruit Bergk lyric. Gr. ed. alt. p. 525 not.

ad XXIII. Sext. Empir. adu. mathem. XI. 171. τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς

πτωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ, νόου δέ μοι οὐκ ἔνι κόκκος,
ἣ με μάτην φεύξεσθαι ὀΐομαι αἰπὺν ὄλεθρον.
τρὶς μάκαρες μέντοι καὶ τετράκις οἵ μὴ ἔχοντες
μήτε κατατρώξαντες ἐνὶ σχολῇ ὅσσ' ἐπέπαντο.
νῦν δέ με λευγαλέαις ἔρισιν εἵμαρτο δαμῆναι
καὶ πενίῃ καὶ ὅσ' ἄλλα βροτοὺς κηφῆνας ἐλαστρεῖ.

XXIIII (42).

τίς δ' οὗτος κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν
μωλυτὴς ἐπέων, λίθος Ἄσσιος, ὅλμος ἄτολμος;

XXV (49).

ἓν δὲ πλατυσμὸς
πουλυμαθημοσύνης τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

XXVI (24).

καὶ σὺ Πλάτων, καὶ γὰρ σὲ μαθητείης πόθος ἔσχεν,

in XXIII, u. 4: *χ*, 67. *ἀλλά τιν' οὐ φεύξεσθαι ὀΐομαι αἰπὺν ὄλεθρον.*
u. 5: *ε*, 305. *τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο.*
u. 7: *ε*, 312. *νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.*
in XXIIII, u. 1: *Κ*, 82. *τίς δ' οὗτος κτἑ.*
Γ. 196. *αὐτὸς δὲ κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν.*
in XXV, u. 2: *η*. 216. *οὐ . . . . . κύντερον ἄλλο.*

(stoicis) *μεταμελομένους ἐφ' οἷς μάτην ἐμόχθησαν παρεισάγει* (Timon) *διὰ τούτων· „φῆ — ἐλαστρεῖ"*. — *uers.* 3. *νόον* pr. C *κόκοκκος* C. — *uers.* 4. *μαθεῖν* CGR *μάτην* F cum Stephano *φεύξασθαι* G. — *uers.* 5. *μάρες* C *οἱ μὲν ἔχοντες* coni. Villoison ad Cornut. p. 354 ed. Osann. — *uers.* 7. *με λε ἔρεισιν* C.

ad XXIIII. L. D. VII, 170. *ἦν* (Cleanthes) *πονικὸς μὲν, ἀφυὴς* (ut pro uulgata *ἀφυσικὸς* lectione Cobet restituit) *δὲ καὶ βραδὺς ὑπερβαλλόντως· διὸ καὶ Τίμων περὶ αὐτοῦ φησιν οὕτως· „τίς δ' — ἄτολμος"*. Inde translati sunt hi duo uersus in antholog. Planud. p. 192. — *uers.* 1. *οὕτω* fs. — *uers.* 2. *μωλυτὴς* correxit Vsener meus collato Arcad. p. 28, 18. 27. 45 pro *μωλύτης* *λίθος* corr. Meineke in Caesar. diar. antiqu. III. p. 320 pro *φίλος* de *ὅλμος ἄτολμος* cf. idem in philolog. XIII. p. 535.

ad XXV. Athen. XIII. p. 610 b. *καὶ ὁ Τίμων δὲ ἔφη· „ἓν — ἄλλο"*. — *uers.* 2. *οὔκε. νεώτερον* A.

ad XXVI. Gellius u. Att. III, 17. in eo libro (qui *σίλλος* inscribitur Ti-

πολλῶν δ᾽ ἀργυρίων ὀλίγην ἠλλάξαο βίβλον·
ἔνθεν ἀπαρχόμενος τιμαιογραφεῖν ἐδιδάχθης.

XXVII.

uid. testimonium infra positum.

XXVIII (31).

λῆρον ἀναστήσας ὀφρυωμένος ἀφροσιβόμβαξ.

---

mon) Platonem philosophum contumeliose appellat, quod inpenso pretio librum Pythagoricae disciplinae emisset exque eo Timaeum nobilem illum dialogum concinnasset. uersus super ea re *Τίμωνος* hi sunt: „*καὶ — ἐδιδάχθης*". Iamblich. ad Nicom. arithm. p. 148 ed. Tennul. *ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας Τίμων λέγων οὕτως· „καὶ σὺ — ἐδιδάχθης*". schol. Platon. Timae. p. 364 Herm. *καὶ ὁ σιλλογράφος φησὶ περὶ αὐτοῦ· „πολλῶν — ἐδιδάχθης*". *προλεγόμενα τῆς Πλάτωνος φιλοσοφίας* p. 201 Herm. *φέρεταί τι ἔπος τοιόνδε· „πολλῶν — ἐδιδάχθης*". Procl. in Timaeum p. 1. ed. Schneider. *τὸ τοῦ Πυθαγορικοῦ Τιμαίου γράμμα περὶ φύσεως Πυθαγορικὸν τρόπον διατάττεται „ἔνθεν ἀφορμηθεὶς" ὁ Πλάτων „τιμαιογραφεῖν ἐπιχειρεῖ" κατὰ τὸν σιλλογράφον* (mg. cod. A *τὸν Τίμωνα*). — *uers.* 1. *μαθητὴν ὁ πόθος* Gellius *μαθητύος εὖ πόθος* coni. Scaliger ad Stephan. poes. philos. p. 217 *μαθητεύειν πόθος* coni. Brunck. — *uers.* 2. *δ᾽* om. proleg. Plat. phil. *ἤλαξα μολπὴν* proleg. Plat. phil. *ἠλλάξατο* schol. Plat. Tim. Iambl. — *uers.* 3. *ὅθεν* Gellius *ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης* Gellius *ἀφορμηθεὶς τιμαιογραφεῖν ἐπεχείρει* proleg. Plat. phil. Iambl. schol. Plat. Tim. *ἀφορμηθεὶς τιμαιογραφεῖν ἐπιχειρεῖ* Procl. in Tim. *ἐπεχείρεις* coni. Westermann biogr. p. 394.

ad XXVII. Tzetz. chil. X. 806—810. *ὠνεῖται* (Hiero) *καὶ τοὺς μίμους δὲ*
τὸ Σώφρονος βιβλίον
ἀνδρὸς σοφοῦ τοῦ Σώφρονος, ὄντος
Συρακουσίου,
καὶ τοῦτο δὲ τῷ Πλάτωνι δίδωσιν
ὡς ποθοῦντι,
ἀφ᾽ οὗπερ ἐμιμήσατο γράφειν τοὺς
διαλόγους,
ὡς ἐν τοῖς σίλλοις φαίνεται ὁ Τί-
μων διαγράφων.

Timonis ipsius uerborum uestigia passim agnoscas.

ad XXVIII. L. D. II, 126. *φαίνεται δὴ ὁ Μενέδημος σεμνὸς ἱκανῶς γενέσθαι· ὅθεν . . . . ὁ Τίμων οὕτω* (*αὐτὸν παρῳδῶν φησι*)· „*λῆρον — ἀφροσιβόμβαξ*". Hesych. Mil. p. 36. *ἦν δὲ* (Menedemus) *σεμνὸς ἱκανῶς· ὅθεν . . . . ὁ Τίμων οὕτω* (*αὐτὸν παρῳ-*

XXVIIII (12).

τοῖς δ' ἔνι κοκκυστὴς ὀχλολοίδορος Ἡράκλειτος
αἰνικτὴς ἀνόρουσε.

XXX (50).

δειπνομανὲς, νεβροῦ ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἀκύλιστον.

XXXI (56).

καλός τε μέγας τε.

in XXVIIII, u. 1—2: *A*, 247 sq. τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουσε.
in XXX: *A*, 225. οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.
in XXXI: *X*. 108. καλός τε μέγας τε.

